ELOQUENTIÆ PRÆLUDIA.



PARS SECUNDA

Pro Classe

RHETORICÆ.



MEDIOLANI, MDCCXX.

Typis Iosephi Pandulfi Malatestæ.

Superiorum permissu.

TRACTATVS

Secundæ Partis.

Rhetoricæ Artis Epitome.

De Elogijs.

De Argutijs.

De Impresijs.

De ſcribenda Hiſtoria.

Nonis Martij MDCCXX.

REIMPRIMATVR.

Fr. Ioſeph Maria Felix Ferrarini Ord. Præd. Sacræ Theologiæ Magiſter, ac Commiſs. S. Offitij Mediol.

Carolus Franciſcus Curionus pro Eminentiſs., & Reuerendiſs. D. D. Card. Archiep.

Federicus Ceſatus pro Excellentiſſimo Senatu.

Ad Studiosum Artis Rhetoricæ Adolescentem.

ARchimedæum opus tentare me dices, qui Rhetoricæ magnitudinem per se amplissimam, tot insuper excellentium Præceptorum accurata doctrina latissimè diffusam, exiguis paginis arctare velim, vel potiùs Procustis in morem malè mutilatam ad præfinitam arbitrio meo breuitatem contrahere. Verùm quamuis tot illustrium Virorum eruditionem eximiam, & laudem, & mirer, & venerer; ea mihi semper insedit opinio, nullos meliùs humanis ingenijs consuluisse, quàm qui Artes non earum amplitudine, sed vitæ nostræ spatijs metiti, de his ita scripsere; ut neque voluminum mole annos à lecturis exigerent, neque multitudine, ac difficultate præceptionum discentes diutiùs distinerent. Huius quidem Oratoriæ facultatis qui sinus omnes perscrutari voluerit, quæque ad illam quoquomodo attinent explicare; tum omnium rationem præscribere, quæ dici possunt, si Nestoreos etiam viuat annos, priùs viuendi finem fecerit, quàm scribendi. At non-tanto præceptorum apparatu indigere sentio Eloquentiæ primordia, vltra quæ vix quidquam proprium ha-

bet hæc, quam Rhetoricam vocamus; immò ex his pleraque desumit ex penore alieno: Quid verò denique totum illud fore putas, quod Scholæ istius Tirocinio comparabis? Si Tullio fidem habes, (a) *Rhetorica doctrina verborum est, Philosophia rerum. Formam itaque habebis sine materia. Hæc aliunde tibi quærenda est. Vbi Rhetorem cum profectu audieris, à Dialectica, Philosophia Naturali, ac Morali, ab Historia, ab omnigena denique Eruditione cætera comparabis, quæ inchoatum his rudimentis Oratorem perficient; si assidua insuper accesserit scribendi, ac dicendi consuetudo. Cæterùm pauca ista incipienti sufficient, à natura dato ingenio, studioque vtenti. Hunc sanè qualemcunque laborem meum non ingratum tibi fore hoc saltem nomine non diffido, quòd eam secutus sum breuitatem, quæ minueret incommodum, vtilitatem tamen afferret. Hanc vnam in votis habeo, cujus cùm fructum aliquem perceperis, satis magnum, ac præoptatum Minerual hoc ipso mihi persolueris. Vale.*



RHE-

a *Cic. in Oratore.*



RHETORICÆ ARTIS EPITOME.

Quid sit Rhetorica, quid Rhetor, & Orator; quod huius Officium, ac finis.

CAPVT PRIMVM.



HETORICA (Latinè Dictio, seu Oratoria, siue Eloquentia) (a) *est ars benedicendi*. Dicere, (b) Tullij sententia non est idem, ac loqui; hoc est quoquomodo verba facere, sed copiosè, & ornatè disserere; atque aptè ad persuadendum. Hæc summa est Eloquentiæ vis, summa Oratoris laus; quare Aristoteles Rhetoricam definiuit, *facultatem videndi, quid in quaque re sit ad persuadendum accommodatum*; quanuis hac definitione solam spectasse videtur inuentionem.

a *Quintil. Instit. Orat. l. c. 14.*
b *Cic. in Oratore.*

Aliqui Rhetoricam ab Eloquentia distinguunt; quòd illa sit Ars, quæ tradit benedicendi præcepta ; hæc vsus eiusdem Artis. At si Græcè Rhetor ab eloquendo Latinè eloquens dictus est (vt notat Cicero in Oratore) non video, cur, quæ à Græcis Rhetorica dicitur, à Litinis Eloquentia dici non possit. Quòd si quis repugnet, litem conciliabis Epitheto, atque illam Eloquentiam docentem vocabis, hanc dicentem.

Idem inter Oratorem, ac Rhetorem discrimen affertur: quòd Rhetor propriè vocatur, qui dicendi Artem docet, Orator qui exercet, veras causas agendo; atque ita differt à Declamatore, qui fictas in Scholis causas agit.

Ex Definitione Rhetoricæ statim colligitur Oratoris Officium, & finis. Officium in qualibet Arte id est, quod præstare Artifex debet, ad suum finem obtinendum. Finis est id, cuius obtinendi gratia operatur. Officium igitur Oratoris est dicere appositè ad persuadendum: Finis est persuadere dicendo.

Persuadet autem Orator probando, delectando, flectendo. Probare necessitatis est, delectare suauitatis, flectere victoriæ.

Qua-

Quanam sit Rhetoricæ materia, & quotuplex.

CAPVT SECVNDVM.

MATERIA *Rhetoricæ est omnis Quæstio. QVÆSTIONIS nomine intelligitur quidquid in disceptationem Oratoriam venire potest.* Quamobrem vides, quàm amplos habeat fines Eloquentia, cùm nihil sit omnino, de quo disputari dicendo non possit. Hinc est quòd aliqui apud Quintilianum *lib. 1. c. 21.* hanc artem *circuncurrentem* dixere: quòd excurrat in omnia; & Oratorem Tullius ad dicendum de re omni voluit esse paratum, seque fatetur (a) non ex Rhetorum officinis, sed ex Academiæ spatijs Oratorem extitisse.

Quæstio diuiditur in Infinitam, & Finitam. (b) Infinita, quæ dicitur etiam Thesis, Propositum, & Consultatio, generalis Quæstio est, quæ non certis alligatur personis, temporibus, locis &c. ex. gr. *Sit ne vtilis Historiæ cognitio.* Finita, quæ vocatur Hypothesis, Controuersia, & Causa, est, quæ aliqua circunstantium designatione terminatur:

a *Cic. in Oratore.*
b *In Partit. Orat., & in Topicis.*

tur: ex. gr. *Sit ne vtilis Principi cognitio historiæ.*

Plurimum confert ad vim, & copiam Orationis scire Hypothesim ad suam Thesim reuocare; quod facilè fiet, eximendo à circunstantibus Hypothesim, & finitam Propositionem ad vniuersalem, ac genericam referendo. Sic adprobandam hanc detetminatam. *Bellum gerendum est in Christianæ Religionis hostes*, ad generalem eam confugiam. *Bellum in hostes gerendum est*. At non temerè dilabendum in Thesim, nisi quando, & quantùm res postulet, ne latiùs vagetur Oratio, & vix aliquando ad Hypothesim redeat. Vide quæ diximus in Loco à Genere, & Specie.

Quæstionum, quacunque de re sint, duo sunt genera: vnum cognitionis, alterum actionis. Quæstiones cognitionis sunt, quarum finis est scientia: vt: *An eloquentia magis à natura pendeat, quàm ab arte*. Actionis sunt, quæ aliquid agendum spectant: vt: *Sit ne paranda classis in piratas*.

Omnes igitur hæ Quæstiones Rhetoricæ materia sunt: quanuis magis proprium sit Oratoris Causas tractare, quàm Proposita; hoc est finitas potiùs, quàm infinitas Quæstiones. Causarum ad Oratorem spectantium tria

ſunt genera, Demonſtratiuum, Deliberatiuum, & Iudiciale. Demonſtratiuum verſatur in Exornationibus, Laudibus, ac Vituperationibus. Deliberatiuum in Suaſionibus, ac Diſſuaſionibus. Iudiciale in Accuſationibus, ac Defenſionibus.

Quot, & quæ ſint partes Rhetoricæ, & quænam ad comparandam Eloquentiam requirantur.

CAPVT TERTIVM.

QVinque ſunt Rhetoricæ partes *INVENTIO, DISPOSITIO. ELOCVTIO, MEMORIA, & PRONVNTIATIO.*

(a) *INVENTIO eſt excogitatio argumentorum, ſeu rationum, quibus Orator probet, quod proponit. DISPOSITIO eſt rerum inuentarum in ordinem diſtributio. ELOCVTIO eſt idoneorum verborum, ac ſententiarum ad res inuentas explicandas accommodatio. MEMORIA eſt rerum, ac verborum firma perceptio. PRONVNTIATIO eſt ex rerum, verborumque dignitate vocis, & corporis moderatio.*

His quinque partibus excellere debet perfectus Orator: quare ad hunc for-

a *Pr. ad Herennium, & 1. de Inuent.*

mandum tam multa requiruntur, quæ rarò, aut nunquam omnia summa in vnum conueniunt, vt apicem Eloquentiæ nullus assequi posse videatur. Vetus Quæstio est, plus ne ad hanc dicendi facultatem natura conferat, an doctrina: quam tamen quæstionem facilè soluit Horatiana sententia. *Alterius altera poscit opem*. Primùm quidem opus est fauentis Naturæ beneficentia, quæ opportuna tum animi, tum corporis bona futuro Oratori concesserit; quæ si desint, nullis acquiri præceptis possunt: hoc est acumen ingenij, & promptam, fidamque memoriam; quibus, ad actionis laudem, vocis felicitas, aptaque cum decore corporis habitudo accedat. Hæc si tibi largita fuerit Diuina clementia, natus es ad Eloquentiam, nondum instructus: adhuc alia quærenda sunt, quibus perficiantur Naturæ dotes. De his modo agimus, quæ ab humana pendent industria.

Tria sunt, quorum auxilijs Eloquentia comparatur. Ars, Exercitatio, & Imitatio: nisi fortè vnico Artis nomine omnia velis complecti; nam Exercitatio est Artis vsus, Imitatio est pars Artis. Immò Ars eadem imitatio Naturæ est; nec aliunde originem habuit Oratoria facultas, quàm ex obseruatione, & imitatione illorum, qui na-

turali Eloquentia præſtantes normam cæteris tradidere; atque ita prius exempla fuere, quàm præcepta; quanuis in his colligendis, ac ſeligendis multum profecerit eruditorum hominum cura, vt ex optimis abſolutiſſimam Artem formaret.

ARS eſt collecta ex animaduerſione, & experientia, doctrina; quæ certam oſtendit bene dicendi rationem.

EXERCITATIO eſt vſus aſſiduus eorum, quæ ad artem ſpectant, vel comparandam, vel perficiendam, audiendo, legendo, meditando, ſcribendo. Horum enim aſſiduitas perficit ipſius artis opera, & parit facultatem quare Plinius vſum appellauit *optimum dicendi magiſtrum. Epiſt.* 29. *lib.* 6.

IMITATIO eſt ſermonis noſtri ad ſermonem veterem apta conformatio. (a) Hac nullus eſt expeditior ad Eloquentiam trames: longum quippe iter per præcepta, breuiſſimum per exempla.

Præcipit Fabius deligendum quidem ad imitationem vnum in ea facultate, quam ſectamur, qui magis excellat, familiamque ducat, non tamen cæteros omnino excludendos; cùm non ſit vnus Eloquentiæ vultus, nec omnia bona inueniatur in vno.

a *Iuſt. Lipſius in Inſt. Epiſt.* c. 11.

Tullius præcedat, ſummus inter Latinos Artis Oratoriæ magiſter, qui Elocutionis elegantiam, vbertatem, numerum, fluentemque Orationis contextum docebit; deinde ſimiles alij adhibeantur, & optimi Veterum, à quibus Romanæ linguæ ſinceritas, & Eloquentia ſolidior, velut ipſis manans è fontibus, hauriatur. Ex his, cæteriſque lectione dignis Authoribus, & verborum ſumenda copia eſt, & varietas Figurarum, & componendi ratio, tum ad exemplum virtutum omnium mens dirigenda. (a) Nam ea demum commendabilis, & vtilis imitatio eſt, quæ meliorum veſtigijs inhærens proprias facit alienas opes, ac ſuauiſſima temperie colligit, quæ diſperſa laudantur in multis. Quare peccant imitatores inepti, qui ſolam Orationis cutem intuentes, aſſequi ſe laudem exemplaris arbitrantur, ſi verba tantùm ſequantur, & numeros; aut prauo guſtu deteriora ſecernunt, & ſi quæ ſunt in Authoribus leuiora, & aliquando vitioſa, in ſe auidiſſimè deriuant. Hos cum Ariſtotelis, ac Platonis Auditoribus Plutarchus irrideret, (b) qui vt ſe Magiſtris maximè conformarent, primi *balbutientem linguam*; incuruum alterius humerum imi-

a *Quintil. lib.* 10. *cap.* 2.
b *Plut. de audienda Poetica*.

imitari conabantur. Videnda igitur, ac probanda meliora, tum prudenter in rem propriam vertenda. Alij contra fures, & plagiarij, non delibant, sed vsurpant aliena, & quanuis primæ ætati indulgendum sit, si plura licentiùs à propositis exemplis excerpat, id non ita in adultis ferendum, ne alieno viuere assuescant, fuci veriùs, quàm apes. Neque seruiles Authorum pedisequos laudo, qui cùm se vni, quem per omnia sequantur, addixere, minutissima quæque religiosiùs obseruant, quos meritò subsannat Horatius.

O imitatores seruum pecus, vt mihi sæpe
Bilem, sæpe iocum vestri mouere tumultus. Lib. 1. epist. ad Mæcenatem.

Plura de imitatione egregiè Iustus Lipsius in Epistolica institutione c. 11. 12., & 13. Quinam pro diuerso styli genere præcipuè sint imitandi vide in Rhetore Galli lib. 1. cap. 4., vbi varios etiam imitandi modos inuenies.



DE

DE INVENTIONE,
seu de inueniendis Argumentis.

CAPVT QVARTVM.

VT aptè de quacunque re proposita dicere possit Orator, indiget Inuentionis facultate. Primus verò inueniendi labor, ex Tullio, est excogitatio Argumenti.

ARGVMENTVM est ratio, causam probabilem reddens; seu *probabile inuentum ad faciendam fidem*, (a) quo confirmamus, quod proponimus; atque idem est, quod *medium terminum* Dialectici vocant.

Sed vt idonea excogitentur Argumenta, cùm hæc sint veluti spicula dirigenda in scopum, is priùs Oratori præfigendus est, & dignoscendus Causæ Status, seu constitutio Causæ.

STATVS est quæstio, quæ ex prima Causarum conflictione nascitur (b) hoc est ex Intentione Accusatoris, seu Aduersarij, & Depulsione Defensoris; ex. gr. Intentio Accusatoris est. *Roscius Patrem occidit*. Depulsio Defensoris est. *Roscius Patrem non occidit*. Ex vtraque nascitur Quæstio. *An Ro-*

a *Cic. in Partit. Orat.*
b *Quintil. lib. 3. c. 6.*

Roſcius Patrem occiderit.

Triplex (vt Cicero docet) Status eſt, Coniecturalis, Definitionis, & Qualitatis. In ſtatu coniecturali quæritur, an res ſit: vt: *An Deiotarus Cæſari parauerit inſidias*. In Statu Definitionis quæritur, quid res ſit: vt: *Sit ne Patriæ hoſtis Antonius*. In Statu Qualitatis quæritur, qualis res ſit: vt: *An vtilis Reip. fuerit Manlij ſeueritas in filium*.

Aliqui Statum Iudicialibus tantùm cauſis adſcribunt. Tullius, Fabius, & alij ad omnes volunt Cauſas pertinere; nam in Demonſtratiuis etiam, ac Deliberatiuis inter diuerſa ſentientes excitari Quæſtiones poſſunt. Ex. gr. *Fortior ne, an felicior fuerit Alexander. An præferenda ſit vitæ gloria &c.* Plurima de Statibus tradidere veteres. Pleraque ni fallor, aptiora Iudicijs. De his Conſule Quintilianum lib. 3. c. 6.

Cognito Cauſæ Statu, ad eam tractandam, & firmandam, veſtiganda erunt Argumenta: confugiendo ad illorum fontes, hoc eſt Locos Rhetoricos, qui ſunt, vt docuimus, Argumentorum ſedes.

Argumenta, quæ deſumuntur à Locis Intrinſecis, dicuntur Intrinſeca, vel Inſita; quæ à Locis Extrinſecis, Extrinſeca, ſeu Remota. Ita ſi probarem de-

deberi Principi obsequium, *quia Dei Minister est, ab eo datus ad regimen populorum*, Argumentum Intrinsecum esset, à Definitione. At si hoc idem confirmarem ea Taciti authoritate. *Principi rerum iudicium cælitus datum est, subditis obsequij gloria relicta.* (a) Argumentum extrinsecum esset, à Testimonio humano. Quomodo à singulis Locis eruantur Argumenta, clariùs exemplis patebit, quæ inferiùs dabo.

Hoc interim moneo, exquirendas quidem, non extorquendas rationes è Locis; sed habendum eorum delectum, è quibus Argumenta validiora, & ad rem probandam aptiora educantur; atque hæc à leuioribus, minùsque aptis secernenda, quod opus Iudicij est. Hinc aliqui (vt notat Quintilianus *lib.* 3. *cap.* 3., & *lib.* 6. *c.* 6.) Inuentioni addidere Iudicium, tanquam Rhetoricæ partem ab alijs distinctam; at non minus ad Dispositionem, & Elocutionem, cæteraque Artis opera requiritur, quàm ad Inuentionem; nec magis Arte traditur, quàm gustus, aut odor.

** **
** **

Quid

a *Lib. 6. Annalium.*

Quid ſit, & quotuplex Argumentatio.

CAPVT QVINTVM.

ARGVMENTATIO *eſt Argumenti explicatio*: preſſam enim rationem, vimque in Argumento latentem educit, & languidum ſecus illius acumen vibrando dirigit, vt feriat. Do exemplum. Si dicas: Virtus eſt expetenda; *quia gloriam affert*; hoc eſt ſimplex Argumentum. En vt hoc idem explicet, & validiùs tractet Argumentatio.

Quod gloriam affert, eſt expetendum:
Sed Virtus gloriam affert.
Ergo eſt expetenda.

Omnis igitur Oratoria Argumentatio nititur Argumento, ſeu ratione, à Locis deſumpta, quæ vel vera ſit, vel veriſimilis: non enim neceſſarias exigit, & euidentes, quæ gignant ſcientiam per Philoſophicam Demonſtrationem; non quòd his etiam vti non poſſit Orator, ſed quòd illius proprium ſit in perſuaſibilibus verſari, fidemque tantùm facere, & obtinere ab Auditoribus opinionis aſſenſum; quare ſatis eſt, ſi illius Argumentatio ex certis, & probabilibus fiat.

Pro

Pro certis habemus primùm, quæ ſenſibus percipiuntur, (a) vt quæ videmus, audimus, ac tangimus: ex. gr. *Solem lucere*: *ignem ardere &c.* Deinde illa, in quæ communi opinione conſenſum eſt, vt: *Præſtandum eſſe maioribus obſequium*. Præterea quæ legibus cauta ſunt, & recepta in mores. Denique manifeſta iam, & aliùnde probata, vel conceſſa.

Probabilia dicuntur; quæ plerùnque ita eueniunt, vt: *Procliuiorem eſſe ad voluptates adoleſcentiam.* Tum quæque veriſimilia ſunt, & ex circunſtantibus, & coniecturis credibilia, vt: *Patratæ cædis conſcium eſſe, qui fugere viſus eſt cum ſicario*.

Duplex Argumentationis genus eſt, Syllogiſmus, Latinè Ratiocinatio, & Inductio. (b) Ad hæc duo genera referuntur aliæ Argumentationum ſpecies. Ad Syllogiſmum Epicherema, Enthymema, Dilemma, Sorites: ad Inductionem Exemplum.

In his explicandis ita me geram, vt meminerim non inſtrui à me Dialecticum ad diſputandi ſubtilitatem, ſed recentem ab humanioribus literis adoleſcentem Eloquentiæ rudimentis imbui,

a *Quintil. lib.* 5. *c.* 10.

b *Ariſt. Rhet. lib.* 1. *c.* 2. *Topic. lib.* 1. *c.* 10. *Cic. de Inuent. lib.* 1.

bui, cui sufficit aliquas Argumentationes ad proposita exempla conficere. Immò vtilius fore arbitror, si Rhetoricis Ratiocinationibus amplificandis,& exornandis exerceatur, quàm si torquendis ad Logicorum leges Syllogismis immoretur: aliud enim est, quod ad Philosophos attinet, compressa manu, aliud, quod spectat ad Rhetores, explicata pugnare.

De Syllogismo:

SYLLOGISMVS est argumentandi ratio, quæ ex duabus Propositionibus, seu Enuntiationibus artificiosè dispositis tertiam colligit. Tribus itaque partibus constat. Prima dicitur à Logicis Maior, à Rhetoricis Propositum, seu Propositio. Secunda Minor, apud nos Sumptio, seu Assumptio. Tertia Conclusio, quæ à Cicerone Complexio, à Fabio Connexio vocatur. Hæ autem Enuntiationes ita sunt inter se connexæ, vt è primis duabus tertia deducatur.

In perfecto Syllogismo prima Propositio est aliqua vniuersalis Enuntiatio, & quasi Thesis, à qua pendet Assumptio, & Complexio: Assumptio continet Argumentum, seu rationem inuentam ad probandam Complexionem: Complexio est ipsa Propositio, quam

quam Argumentatio probat. En exemplum.

PROPOSITIO. Quidquid est mutabile est incertum.

ASSVMPTIO. At diuitiæ sunt mutabiles.

COMPLEXIO. Ergo diuitiæ sunt incertæ.

Syllogismi artificium, variasque illius formas si nosse cupis, adi Rhetorem Galli lib. 5. cap. 5., & Ludouicum Carbonem de Oratoria, & Dialectica Inuentione lib. 5. c. 14., & sequentibus.

De Epicheremate.

EPICHEREMA, *quod aliqui* Aggressionem appellant, *est Oratoria Ratiocinatio*, *quæ solo numero partium à Logico Syllogismo differt*; nam quandoque vel Propositioni, vel Assumptioni Rationem addit, aliquandò vtrisque, vt vel alterutra, vel vtraque indiget probatione; ideo modò quatuor, modò quinque partibus constat. Ex. gr.

Quod cruciat animum ingens supplicium est;

Quia torquet nobiliorem hominis partem.

At culpa cruciat animum;

Quia conscientiæ stimulis ferit.

Ergo culpa ingens supplicium est.

Alij

Alij Epicheremata vocant Ratiocinationes, vnica Propositione conclusas; ex.gr. *Quisquamne fidat fallacibus fortunæ bonis?* Quæ Propositio hanc in se continet Ratiocinationem.

Fallacibus bonis nemo fidere debet.
Sed fallacia sunt fortunæ bona,
Ergo nemo fidere debet fortunæ bonis.

De Enthymemate.

ENTHYMEMA, quod Commentum, seu Commentationem Fabius (a) interpretatur, *est Syllogismus imperfectus, seu mutila Ratiocinatio.* Si enim Syllogismo dematur vel Propositio, vel Assumptio, fiet Enthymema. Ex. gr.

Ablata Propositione.

Improbi suis cupiditatibus famulantur.
Ergo improbi sunt serui.

Dempta Assumptione.

Qui suis cupiditatibus famulantur serui sunt.
Ergo improbi sunt serui.

De Dilemmate.

DILEMMA est argumentatio duobus membris pugnantibus constans, quorum vtrunque Aduersarium ferit. Cicero Complexionem vocat: duas enim complectitur Propositiones, quarum

a *Quintil. lib.* 5. c. 10.

rum vtramuis concedas, in te pugnat Argumentatio; ex.gr.

Aut amicum amas, aut odisti,
Si amas; cur lædis? Si non amas; non es ergo Amicus.

De Sorite.

SORITES est Ratiocinatio pluribus Argumentis à se inuicem dependentibus constans: quare Tullius *aceruialem Syllogismum* censuit à Latinis dici posse; nam plures Propositiones inter se connexas coaceruat, per quarum gradationem deuenit ad aliquid probandum. Simili Argumentatione carpebat filium Themistocles, materna, paternaque indulgentia insolentiùs vtentem; eumque toti Græciæ imperare ita per iocum probabat. *Ex Plutarcho in vita Themistoclis.*

Filius imperat Matri.
Mater imperat mihi.
Ego impero Athenienfibus.
Athenienses imperant toti Græciæ.
Ergo toti Græciæ imperat filius.

De Inductione.

INDVCTIO est Argumentatio, quæ à pluribus Propositionibus particularibus aliquid infert. Tribus modis fieri solet: Per exempla; Per similitudines; & per enumerationem.

Per

Per exempla.

Si M. Crassus, si Q. Metellus, si L. Sylla, si C. Marius, si Senatus, si Populus Romanus iure fœderatos homines Ciuitate donauerunt, & Cn. Pompeius, L. Cornelium fœderatum iure potuit Ciuitate donare. *Cic. pro Cornelio Balbo.*

Per similitudines.

Non ornata, diuesque nauis laudatur, sed firma, & velox; non gemmatus gladius, sed acutus; non formosa regula, sed recta. Ita non locuples, sed probus homo laudandus. *Hanc inductionem adhibet Seneca, sed fusiùs exornatam Epist. 76.*

Per enumerationem partium.

Ver nimbis obnoxium est; Æstas feruet, Autumnus madet, Hyems alget. Nulla ergo Anni tempestas molestijs, & incommodis vacat.

Per enumerationem specierum.

Magnam exigit diligentiam Grammatica, multum laboris ars Oratoria, plurimum studij Poetica &c., omnes igitur bonæ artes nonnisi studio, labore, ac diligentia comparantur.

Valet Inductio non solum ad Argumentationem, verùm etiam ad copiam, & ornatum Orationis. Ea tamen cautio sit, ne in prolixas nimis enumerationes feratur, aut aberret à sco-

ſcopo; nec enim laus eſt enumerare multa, ſed afferre idonea, quæ rei propoſitæ conueniant. Inductionibus præſertim Similium, vtuntur frequentiùs Poetæ, frequentiſſimè Ouidius, quibus fortaſsè nimium indulſit.

De exemplo.

Exemplum hic non ſumitur, vt in Locis, pro ſimplici commemoratione alicuius facti, ſed pro quadam argumentandi forma, à ſuperioribus diſtincta; ſicque definiri poteſt.

EXEMPLVM eſt Argumentatio, quæ per aliquod particulare aliud ſimile probat; quare pars Inductionis eſt, ſeu incohata Inductio, vt ſi dicas.

Tiberius Gracchus mortem meruit, quòd Remp. turbaret.

Ergo Catilina Reip. perturbator mortem meretur.

Hanc eandem Argumentationem ſi plurium Exemplorum Enumeratione augeas, fiet Inductio.

Nudas hactenus Argumentationes propoſui, quales Exempla deſiderant, quæ illorum artificium oſtendunt. Verùm Oratoris eſt eas exornare, vt vim quidem ſuam retineant, ſed artem tegant; ne Oratio Dialogis, & Dialecticis Diſputationibus ſimilis videatur. Quomodo tractandæ ſint infrà videbimus, cùm de Confirmatione agemus.

Ar-

Argumentorum, & Argumentationum Exempla à locis deducta.

CAPVT SEXTVM.

A DEFINITIONE.

MOderatio cupiditatum eſt maxima Virtus. Sed temperantia eſt moderatio cupiditatum. Ergo Temperantia eſt maxima virtus.

A NOTATIONE.

Vir dicitur à Virtute. Verè igitur Vir ſolùm dicendus Virtute præſtans.

A CONIVGATIS.

Qui prudenter non agit prudens non eſt. Sed audax prudenter non agit. Non eſt igitur prudens.

AB ENVMERATIONE PARTIVM.

Debilis Infantia eſt, Pueritia cæca, Adoleſcentia incauta, Virilitas laborioſa, ſenectus ægra. Ergo tota hominis vita miſera eſt.

A GENERE AD SPECIEM.

Omnes ingenuæ Artes in magno pretio ſunt habendæ. Ergo etiam Poeſis.

A SPECIEBVS AD GENVS.

Non eſt vtile, nec honeſtum, nec delectabile iraſci. Non eſt igitur bonum.

A SIMILI.

Idem fermè Auaro contingit, quod Hydropi. Nunquam is bibendo sitim extinguit, nunquam ille habendo cupiditatem.

A DISSIMILI.

Quàm dissimilem brutis creauit hominem Deus! Illa reclinauit in terram; hunc erexit in Cœlum. Illorum est infima, & peritura sectari; huius est Cœlestia atque æterna spectare.

A CONTRARIIS.

Pax nusquàm terrarum est. Ergo vbique bellum.

A PRIVATIVIS.

Tenebras improbi quærunt. Ergo lucem odere.

A RELATIS.

Dominus nobis, & Pater Deus est. Illum ergo sequamur serui, & filij.

A CONTRADICENTIBVS.

Ostentator sapiens non est. Falsò igitur sapientem se iactat.

A REPVGNANTIBVS.

Fugit hostis conspectum: ad omnem vmbram trepidat &c. Quis igitur magnanimum illum putet?

A CAVSA EFFICIENTE.

Sapientissimus est rerum opifex Deus. Omnia igitur sapientissimè ab illo condita sunt.

A MATERIALI.

Fragili conſtas argilla. Quid ergo fortem te iactas?

À FORMA INTRINSECA.

Animum rationis compotem habemus. Dedecet igitur nos à ratione aberrare.

A FORMA EXTRINSECA.

Mira eſt in imagine proportio partium, mira colorum ſuauitas &c. Ergo eleganter picta.

A CAVSA FINALI.

Non viuit homo, vt edat; ſed edit, vt viuat. Indecorum igitur eſt abdomini ſtudere.

AB EFFECTIS.

Ebrietas mentem habetat, & vitiat ſenſus. Animo igitur, & corpori noxia eſt.

AB ANTECEDENTIBVS.

Arbor animata eſt. Ergo viuit.
Natus es mortalis. Ergo moriturus.

A CONSEQVENTIBVS.

Opus abſoluit. Ergo ante inceperat.
Hoſtes vicit. Ergo pugnauit.

A PARI.

Quotquot Artis Oratoriæ laude claruere diu legendo, ſcribendo, lucubrando deſudarunt. Pari ergo contentione tibi paranda eſt Ars illa.

A MAIORI AD MINUS.

Peccantes Angelos non tulit impunè Diuina Iustitia. Multò igitur minùs vilissimum homuncionem feret Cœlo temerè insultantem.

A MINORI AD MAIUS.

Terrent nos transeuntia mala. Quantò magis terrere debent æterna?

A LOCIS EXTRINSECIS.

In sacrilegum prædonem, & expilatorem templorum, clamat publicus rumor, clamant oculati, iuratique testes, clamat extorta quæstionibus facinorum confessio, clamant leges, & iudicia maiorum, quæ supremo damnandum supplicio decernunt. Quis ergo censeat dimittendum?

DE DISPOSITIONE PARTIUM ORATIONIS.

Quid sit Oratio, quot, & quæ illius partes.


CAPUT SEPTIMUM.

ORATIO *est copiosus, elegans, grauisque sermo, ad persuadendum accommodatus.* Quanuis autem omnis locutio dici Oratio possit, vnius tamen Oratoris locutioni, tanquam proprium con-

conuenire Orationis nomen Cicero in Oratore docet.

Quatuor ſunt communes Orationis partes: Exordium, Propoſitio, Confirmatio, & Peroratio, ſeu Epilogus. Communes has pártes Ariſtoteles vocat, (a) quòd his communitèr Oratio conſtet. Ex his duæ tantum ſunt neceſſariæ, Propoſitio ſcilicet, & Confirmatio. Vt enim Orationem conficias, neceſſe eſt, vt ſaltem primò proponas, quid probare dicendo velis, tum illud confirmes.

Narratio præterea, & Confutatio inter partes Orationis enumerantur. Sed Narratio non eſt communis omnibus Orationibus, cùm propriè pertineat ad Iudiciales, in quibus locum plerunque habet poſt Exordium. Confutatio, cùm adhibenda eſt, Confirmationi ſubijcitur; vnamq; cum illa Orationis partem conſtituit, quàm Contentionem vocant. Iam ſingulas explicemus.



a *Ariſt. Art. Rhet. lib.* 3. *cap.* 13.

DE EXORDIO.

Quid sit, & quotuplex Exordium.

CAPVT OCTAVVM.

EXORDIVM *est Orationis initium, & quasi Procemium Actionis.* Dixi quasi Procemium, hoc enim nomine pro Exordio vsi sunt Græci, siue quòd significet cantus præludium, quale iusto modulamini præmittere citharœdi solent, siue (vt alijs placet) (a) quòd Procemium idem sit, ac ante ingressum, vt vestibulum ante ianuam domus.

Duplex est Exordij genus: alterum iustum, ac legitimum, alterum ex abrupto.

Exordium iustum, ac legitimum est illud, quod Auditorum animos præparat ad audiendum, eos beneuolos, attentos, dociles reddendo.

Beneuolos Auditores sibi conciliat Orator, si eorum, siue maiorum virtutes, ac merita commendet; si suum in eos obsequium, amorem, curamque communis boni testetur; si Aduersariorum causam eleuet, eosque reddat Auditoribus inuisos.

Attentos facit, si de magnis rebus, iu-

a *Quintil. lib.* 4. *c.* 9.

iucundis, nouis, aut ad audientium vtilitatem, aut ad Remp. spectantibus, dicturum se esse præmonstret, ac si breuitatem polliceatur.

Dociles reddit; si breuitèr, apertè, ac distinctè, qua de re sit dicturus, exponat.

Egregiè Cicero Auditorum beneuolentiam captat ab ipsa eorum beneuolentia, suoque in Remp. studio Orat. 4. in Catilinam. *Video P. C. in me omnium vestrum ora, atque oculos esse conuersos &c.* Post reditum in Senatu. *Si P. C. pro vestris immortalibus in me &c.* Post reditum ad Quirites. *Quod precatus à Ioue Optimo Maximo &c.*

Attentionem conciliat proposita causæ grauitate pro Deiotaro. *Cùm in omnibus causis grauioribus &c.* Pro Domo sua. *Cùm multa diuinitus Pontifices &c.*, *quòd si vllo tempore magna causa &c.* Pro C. Rabirio. *Et si Quirites non est meæ consuetudinis &c. Sic enim existimare debetis, Quirites, post hominum memoriam rem nullam maiorem &c.*

Docilitatem parat, clarè proponendo, ac diuidendo ea, de quibus dicturus est pro P. Quintio. *Quæ res in Ciuitate duæ plurimum possunt &c. Dabo operam, vt à principio, res quemadmodum gesta, & contracta sit, cognos-*

gnoſcatis , & inferiùs . *Oſtendam primùm cauſam fuiſſe , cur &c.* Pro Sexto Roſcio. *Credo ego vos Iudices mirari &c.* ; *Atque vt faciliùs intelligere possitis &c.* tum infrà . *Totam cauſam Iudices explicemus*. Pro P. Sextio. *Si quis antea Iudices mirabatur &c. Sed quoniam ſingulis criminibus cæteri reſponderunt , dicam ego de omni ſtatu P. Sextij* .

Diuiditur Exordium iuſtum , ac legitimum in Principium , & Inſinuationem .

PRINCIPIVM eſt Exordium , quod ſtatim apertis rationibus Auditores beneuolos , attentos , dociles facit . INSINVATIO eſt artificioſa verborum , ſententiarumque circuitio , qua ſenſim Orator in Auditorum animos irrepit , quare idem occultè præſtat , quod apertè Principium .

Vtimur inſinuatione , cùm cauſa nobis iniquior eſt ; cùm de re acturi ſumus , quæ turpis , vel minùs decora videatur , vel inſolita , vel ardua , ſiue ab Auditorum opinione remota . Cæterùm cùm cauſa honeſta eſt, nec abhorrens ab Audientium ſenſu , inſinuatione non eget .

Cicero pro Archia Poeta inſolito dicendi genere vſurus , præter conſuetudinem fori, multaque allaturus extra

Cau-

Causam de studijs literarum, insinuationem præmittit. *Sed ne cui vestrum mirum esse videatur &c.*

Cæsar apud Salustium in Coniuratione Catilinæ sententiam suam in Senatu dicturus, quæ ad seruandam Coniuratorum vitam spectabat, cùm turpior causa videretur, ita per insinuationem exorsus est. *Omnes homines P.C., qui de rebus dubijs consultant, ab odio, amicitia, ira, atque, misericordia vacuos esse decet &c.*

EXORDIVM ex abrupto est repentinus in causam ingressus, sine præparatione animorum, quare acephalum, hoc est sine capite, ab Aristotele vocatur. Hoc vtitur Orator, cùm Causa vehementiores exigit affectus, vt doloris, indignationis, lætitiæ; atq; ideo fit per validiores Figuras, per Apostrophem, Deprecationem, Exclamationem, Licentiam. Nota sunt exempla Tullij, in Catilinam prima. *Quousque tandem abutere Catilina patientia nostra?* In eundem secunda. *Tandem aliquando Quirites L. Catilinam furentem audacia &c.*, & in Pisonem. *Iamne vides bellua, iamne sentis? &c.*

Apud Liuium lib. 6. Camillus militum animos, auctis hostium copijs perturbatos, excitaturus, ex abrupto concionem exorditur. *Quæ tristitia, mi-*

lites, hac, qua insolita cunctatio est? hostem, an me, an vos ignoratis?

Ibidem Manilius Plebem in Magistratus accendens. *Quousque tandem ignorabitis vires vestras, quas naturæ ne belluas quidem ignorare voluit? Numerate saltem, quot sitis, quot aduersarios habeatis.*

Aliquando etiam Orator statim causam aggreditur, sine vllo Exordio, illius summam apertè proponens, idque maximè in secundis Actionibus, in paruis, notis, aut frequentibus Causis, aut in temporis angustia: ita Cicero pro A. Cluentio *Animaduerti, Iudices, omnem accusatoris Orationem in duas diuisam esse partes*, & sexta in Verrem. *Venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium: vt amici eius, morbum, & insaniam: vt Siculi, latrocinium &c.*

DE FONTIBVS EXORDIORVM.

Siue vnde sumi possint Exordia.

CAPVT NONVM.

EX omnibus Locis Exordia deduci possunt, maximè intrinsecis: quare plures eorum sunt fontes; at præcipuos aliquot ostēdere satis erit, alios innuere.

A GENERE, seu à *Thesi ad Hypothesim* facilis est exordiendi ratio: vt si strenui alicuius Bellatoris virtutem laudaturus, à commendanda generatim bellica virtute sumas initium.

A DIVISIONE, siue *DISTRIBVTIONE partium*, quæ fit, cùm pluribus enumeratis, quæ vel in laudem, vel in vituperationem dicenda occurrunt, vnum eligit Orator, de quo dicat. Vt si multis in Exordio consideratis, quæ Patriam felicem æquè reddunt, ac illustrem, nihil tamen ad illius decus, ac præsidium præstantiùs esse statuas, quàm integerrimi Senatus grauitatem, ac sapientiam.

AB ADIVNCTIS rerum, personarum, locorum, vel temporum. Ex his plerunq; Tullius desumit Exordia, quod in illius Orationibus obseruabis. Latinus Pacatus Panegyricum suum Theodosio dictum ab Adiunctis Personæ laudandæ, ac laudantis, & Auditorum, loci etiam, ac temporis, elegantissimè exorditur.

Si quis vnquam fuit, Imp. Auguste, qui te præsente dicturus ante trepidauerit, eum profectò me esse, & ipse sentio, & his, qui consilium tuum participant, videri posse video. Nam cùm te semper vltra omnes retrò Principes laudari oportuerit, nunc porrò

vltra, quàm aliàs prædicatus es, in ea Vrbe conueniat dicendo celebrari, cuius & libertatem armatus asseruisti, & auxisti dignitatem togatus; quo tandem modo consequi Maiestatem vtriusque vestrum Oratione mea potero? Hoc præcipuè in tempore, quo ambo ita mutuò creuistis, vt nec tu fueris adhuc maior, nec illa felicior. Huc accedit auditor Senatus, cui cum difficilè sit pro amore, quo in te præditus est, de te satisfieri, tum difficiliùs pro ingenita, atque hæreditaria orandi facultate, non esse fastidio rudem hunc, & incultum transalpini sermonis horrorem; præsertim cùm absurdæ, sinistræque iactantiæ possit videri, his ostentare facundiam, quam de Deorum fonte manantem in nostros vsque vsus deriuatio sera traduxit &c.

Huc ea spectant Exordia, quæ à præsenti aliquo euentu sumuntur, vt ex tempore nata videri possint; quæ multum habent gratiæ, augentque famam ingenij. (a) Ita si habenda sit Oratio gratulatoria in Principis aduentu, exorta repentina serenitate, hinc duci poterit initium; quasi verò Cœlum ipsum communem eo die lætitiam suo consensu probarit. Cicero pro Milone dicturus, cùm præter morem dispositos

a *Quintil. lib. 4. cap. 1.*

poſitos in foro, & circùm vicina templa, milites armatos videret, ab illius nouitatis conſideratione Orationem exorſus eſt. *Et ſi vereor Iudices &c.*

A CONTRARIO deducuntur Exordia, priùs proponendo, quaſi per quandam præoccupationem, ſententiam contrariam, eamque refellendo, vt noſtram ſtatuamus. Ita ſi Principis ſeueritatem defendendam ſuſcipias, exordiri poteris ab Imperantium facilitate, morumque ſuauitate commendanda, quæ beneuolentiam populorum conciliat, blandumque eſt animorum illicium. At nimiam eam dulcedinem noxiam eſſe oſtendes, grauesque bono regimini, publicæque tranquillitati clades frequentiſſimè parere; cùm ſenſim trahatur in contemptum languens authoritas, & indulgentia dominantis foueat malorum audaciam, proindè tutius eſſe concludes Imperij miniſtram adhibere ſeueritatem, quæ populorum frænum eſt, ac tutela Maieſtatis.

A ſimili etiam, à diſſimili, à comparatione, ab opinione Auditorum, à Conſuetudine aliqua, à graui Sententia, ab Hiſtoria, à Fabula, à propoſita Quæſtione inſigni erui poſſunt Orationum initia. Sed non omnibus Cauſis omnia conueniunt, quarum ſpecies (vt cum Quintiliano loquar) con-

ſequi

ſequi omnes non poſſumus: quare ſingulis conſilium ex propria ratione naſcetur.

Varios exordiendi modos pro diuerſitate Cauſarum vide in Rhetore Galli *lib.* 4. *cap.* 6., & ſequentibus. Conſule Quintilianum *lib.* 4. *cap.* 1., & Hermogenem *lib.* 1. de Inuentione.

Obſeruanda pro conficiendis Exordijs.

CAPVT DECIMVM.

PErmagni momenti eſt, quod Tullius (a) peritiſſimus Orationis artifex ſuo docet exemplo. Omnibus, inquit, rebus conſideratis, tum deniq; id, quod primùm eſt dicendum, poſtremò ſoleo cogitare, quo vtar Exordio; nam ſi quando id primùm inuenire volui, nullum mihi occurrit, niſi aut exile, aut nugatorium, aut vulgare, atque commune. Idcirco tota cauſa pertentata, atque perſpecta, Locis omnibus inuentis, atq; inſtructis, conſiderandum eſt, quo principio ſit vtendum; ſic & facilè reperietur; nec extrinſecus aliundè quærendum erit, at ex ipſis Cauſæ viſceribus ſumendum; hoc eſt ex rebus quæ pertinent ad cauſam.

Quin-

a *Cic. de Oratore lib.* 2.

Quintiliani (a) quoque perutile monitum est, vt dicturus intueatur quid, apud quem, pro quo, contra quem, quo tempore, quo loco, quo rerum statu, qua vulgi fama, dicendum sit, quid Iudicem sentire credibile sit, quidque obtinere dicendo velit Orator. Sic ipsa illum natura eò ducet, vt sciat, quid primò dicendum sit.

Hæc Tullij, & Quintiliani monita in Orationibus præcipuè Generis Iudicialis seruanda sunt: hæ siquidem accuratiora poscunt Exordia; quæ causæ maximè cohæreant, ad eamque pertractandam viam sternant; neque ad pompam, sed ad motum animorum instructa, plusque artis habeant, quàm ostendant.

In Genere Deliberatiuo minùs necessarium Exordium est, idque breuius esse debere Fabius docet, (b) ac veluti quoddam caput tantùm, & initium, quod Oratoris mentem, & ea, de quibus dicturus accedit, aperiat: nec diligentiùs elaboratum videatur; præparati etenim artificij suspicio fidem Orationi, & Oratori adimit authoritatem.

In Demonstratiuo Genere liberiora Exordia sunt; eaque sentit Aristoteles longè

a *Quintil. lib.* 4. *cap.* 1.
b *Idem lib.* 3. *cap.* 8.

(a) longè à materia, & vndè libeat, deduci posse; dum tamen aptè cadant, & in fine connexionem habeant cum re proposita, de qua Oratio habenda est. His omnis conuenit ornatus, dum absit inanis tumor, & ostentatio; nihil enim æquè Auditorem ab initio demeretur, ac Orationis, & Oratoris modestia. Tale denique procemium sit, vt decorem fronte præferat, non fucum; neque nimia promittat; laudabilius enim est à modicis initijs assurgere Orationem, quàm cœptis ingentibus deficere.

Vniuersè illud Tullij seruetur. Omne principium aut rei totius, quæ agitur, significationem habere debebit, aut aditum ad causam, & communitionem, aut quoddam ornamentum, ac dignitatem. Sed oportet, vt ædibus, ac templis vestibula, & aditus, sic Causis principia pro portione rerum præponere. Non ergo frustra, nec temerè fiat Exordium: (b) at muneribus suis præstandis aptum sit, Causæque conueniens; non commune, quod in quanlibet partem verti possit; non tritum, ac vulgare, nec nimis longè petitum.

Exor-

a *Arist. Rhet. lib.* 3. *c.* 14.
b *Cic de Oratore lib.* 2.

Exordij mensura, & artificium.

CAPVT VNDECIMVM.

DE Exordij magnitudine nihil certum definiri potest. Hoc vnum statuit Fabius, vt modus Principij sit pro Causa, nam breuius simplices, longius graues, perplexæ, suspectæque, & quæ turpes videntur desiderant: (a) Nimia certè prolixitas, vbique ingrata, hìc etiam noxia est; nam longioris Orationis expectatione statim Auditorem deterret; Cæterùm idem Fabius eos ridendos putat, qui velut leges procemijs omnibus dederunt, vt intra quatuor sensus terminarentur. Hermogenes tamen *lib.* 1. *de inuentione*, quem alij sequuntur, aliquam rationem tradit, qua perfectum Exordium texi possit, his quatuor partibus constans.

Prima sit Propositio, Secunda Ratio, Tertia Redditio, seu Assumptio, Quarta Conclusio, seu Comprobatio, cui quandoque ratio annectitur.

Propositio primam Exordij sententiam explicat, quæ desumpta sit, vel ab Adiunctis rerum, vel personarum, aut sanè aliquo modo ad Orationis argu-

a *Quint. lib.* 4. *cap.* 1.

gumentum referatur. Ratio est causa, quæ redditur Propositionis, hæcque aliquando alijs rationibus confirmatur, & amplificatur. Assumptio est quædam Complexio deducta ex Propositione, & Ratione. Conclusio est Redditionis causa, quæ Exordij, summam colligit, & aditum aperit ad dicenda. Huiusmodi exemplum affert Hermogenes.

PROPOSITIO. Quanta ob vectigalium grauitatem mala patiantur Insulæ coloni, neminem vestrum, Athenienses, arbitror ignorare.

RATIO. Cùm enim soluendo impares charissimos filios vendere cogantur, res tanta ignota vobis esse non potest.

ASSVMPTIO. Quamobrem ęquum est, atque ad vestram prudentiam attinet, ac dignitatem; vt grauissima, quibus opprimuntur, onera minuatis.

CONCLVSIO. Non enim leuis nomini vestro labes impendet, si patiamini populos infelices tam impia calamitate laborare.

Idem fermè artificium inuenies in Exordio Orationis pro lege Manilia, & in Principio Oratoris ad Brutum.

Verùm cùm totidem semper constare partibus, nec eadem ratione texi possit,

possit, aut debeat Exordium, admodum incerta est ea methodus, ab Hermogene tradita; illamque potiùs ad explicanda Exordiorum artificia nosse iuuat, quàm veluti præscriptam omnibus regulam obseruare.

De Narratione.

CAPVT DVODECIMVM.

NARRATIO *est rerum explicatio; & quadam quasi sedes, ac fundamentum constituendæ fidei*, (a) Causam enim, & quæ ad eam pertinent explicat, à quarum explicatione pendet Confirmatio.

Hæc ea Narratio est, quæ à Tullio Ciuilis dicitur, & propriè conuenit Iudicialibus Causis. At neque semper in his adhibetur: nam breuiores quædam Propositionem potiùs habent, quàm Narrationem; (b) neque, si res aliundè nota est, nec dubium, quid gestum sit, narrare oportet.

Generis Demonstratiui Oratio Narrationem, tanquam partem ab alijs distinctam, non habet; cùm tota plerunque verfetur in enarrandis, & exornandis alicuius factis.

Genus

a *Cic. in Part. Orat.*
b *Quintil. l. 4. c. 2. Cic. de Oratore lib. 2.*

Genus quoque deliberatiuum huiusmodi Narratione non eget; nisi fortè de publica aliqua deliberatione agatur, deque re graui, vel minùs nota, quam expediat Auditores edoceri, vt quid deliberandum sit, Orator ostendat. Ita Cicero in Oratione pro lege Manilia post Exordium vsus est Narratione, qua imminentis belli grauitatem exponit, vt Pompeium deligendum esse Imperatorem persuadeat.

Vt plurimum Exordio succedere Narratio solet: quanuis aliquàndo ad refellenda, quæ ab Aduersarijs obiecta fuerint, liberum Oratori sit aliquam Confutationem Narrationi præmittere; quod egit Cicero pro Milone, statim post Exordium confutare aggressus, quæ à Clodianis obijciebantur. *Sed antequam ad eam Orationem venio, quæ est propria nostra Quæstionis, videntur ea esse refutanda, quæ in Senatu sæpe ab inimicis, ab improbis sæpè iactata sunt &c.*, hinc transit ad Narrationem. *Quod quò faciliùs argumentis perspicere possitis, rem gestam vobis dum breuitèr expono, quæso diligentèr attendite. P. Clodius cum statuisset omni scelere in pratura vexare Remp. &c.*

Cùm obesse potest integra, & sincera gestæ rei Narratio, tunc Tullius

docet

ocet membratim eius partes disper-
endas in Causam, & ad vnamquam-
ue rationem accommodandam, vt
ulneri prestò medicamentum fit, &
dium statim defensio mitiget. Hac
rte in narrando vtatur Orator, vt
omnia vertat in rem suam; aduersan-
ia, quæ præteriri poterunt, præte-
reundo, aut infirmando; quæ Causæ
fauent, diligenter, & enodatè nar-
rando.

Sæpius Narrationi præmittitur ali-
qua Prænarratio, siue præparatio ad
Narrationem. Opportuna certè ad
illam transitio post Exordium adhi-
benda; à qua tamen abesse vult Fabius
affectatam argutiam, quæ fallat Au-
dientes, ac transitum cælet. (a) Qua-
propter, vt non abruptè cadere in
Narrationem, ita non obscurè tran-
scendere est optimum. Cic. in Ora-
tione pro lege Manilia sic ab Exordio
ad Narrationem transit. *Atque vt
inde Oratio mea proficiscatur, vnde
hæc omnis Causa ducitur; bellum gra-
ue, & periculosum vestris vectigali-
bus, atque socijs à duobus potentissimis
Regibus infertur*. Et pro Roscio Ame-
rino. *Atque vt faciliùs intelligere
possitis, Iudices, ea quæ facta sunt in-
digniora esse, quàm hæc sunt, quæ di-
cimus,*

a *Quintil. lib. 4. c. 1.*

gimus, ab initio res quemadmodum gesta sit vobis exponemus &c.

Sed non minùs inter cæteras Orationis partes, quàm inter Narrationem, & Exordium, esse debet Transitionum nexus, quarum Indicem habes in prima parte post Figuras.

Quatuor Narrationis virtutes, quas alibi explicuimus, huic etiam conueniunt; sed hanc maximè Tullius vult esse probabilem, & perspicuam; nec historico, sed propè quotidiano sermone explicatam dilucidè; non tamen prorsus inornatam, ne indocta sit. (a) Quæ Figuræ ad eam illustrandam, suauemque reddendam valeant iam vidimus in Tractatu de Narratione.

Quintilianus omni, qua potest, gratia, & venere exornandam Narrationem sentit; semper tamen spectata rei, quæ exponitur, natura: caret enim cæteris lenocinijs expositio; & nisi commendetur hac venustate, iaceat necesse est. (b) Aliquando etiam affectibus vtendum; cùm præsertim de re agitur miseranda, inusitata, atroci. Plures valde Patheticas Narrationes habet Cicero maximè in Verrina 7. Talis est illa, qua subijcit oculis nauarchorum supplicium, quos immanissimus

a *Cic. in Oratore.*
b *Quintil. lib. 4. c. 2.*

mus Verres iniustè damnauerat.

Includuntur in carcerem condemnati: supplicium constituitur in illos, sumitur de miseris parentibus nauarchorum. Prohibentur adire ad filios suos, prohibentur liberis suis cibum, vestitumque ferre. Patres hi, quos videtis, iacebant in limine; matresque miseræ pernoctabant ad ostium carceris, ab extremo complexu liberùm exclusæ; quæ nihil aliud orabant, nisi vt filiorum extremum spiritum excipere sibi liceret. Aderat ianitor carceris, carnifex Prætoris, mors, terrorque sociorum, & ciuium lictor Sextius, cui ex omni gemitu, doloreque certa merces comparabatur. Vt adeas tantum dabis: vt cibum tibi intrò ferre liceat, tantum: nemo recusabat. Quid, vt vno ictu securis afferam mortem filio tuo, quid dabis? ne diu crucietur? ne sæpius feriatur? ne cum sensu doloris aliquo, aut cruciatu spiritus auferatur? etiam ob hanc causam pecunia lictori dabatur. O magnum atque intolerandum dolorem! o grauem, acerbamque fortunam! non vitam liberùm, sed mortis celeritatem redimere cogebantur parentes &c.

Non est, cur plura tibi afferam Narrationum exempla; cùm his affluant Ciceronis Orationes.

Sub-

Subdunt aliqui Narrationi Digressionem, seu Egressionem. *Est autem DIGRESSIO aliena rei, sed ad vtilitatem Causæ pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio.* Verùm hoc expatiandi genus (vt Fabius ait) non tam post Narrationem, quàm alibi locum habere potest; (a) cùm res postulat, aut certè permittit; atque adhibetur, ad illustrandam, & ornandam Orationem, aut ad animos Auditorum recreandos, & excitandos. Plura sunt, quæ per totam Causam varios habent excursus; vt laus hominum, commendatio virtutum, vitiorum vituperatio, locorum descriptio, rerum gestarum, & quandoque Fabularum expositio. At caueat prudens Orator, ne frequentior sit, aut prolixior Digressio, vel à proposito aliena; nec solùm opportunè digrediatur, verùm etiam aptè redeat, vnde diuerterat. Cicero pro L. Cornelio Balbo digreditur in Pompeij Laudes. Actione 6. in Verrem diuertit in Eryphiles Fabulam; atque ibidem inferiùs in veterem Siculorum religionem erga Cererem, & Proserpinam, cuius raptum etiam describit, vbi cùm longior futura esset Digressio, hac vtitur præparatione.

Nimium mihi diu videor in vno ge-

a *Quint, lib.* 4. *c.* 3.

genere versari criminum. Sentio, Iudices, occurrendum esse satietati aurium, animorumque vestrorum &c., tum denique ad rem suam ita redit. *Non obtundam diutius aures vestras. Iamdudum vereor, ne Oratio mea aliena ab iudiciorum ratione, & quotidiana dicendi consuetudine esse videatur.*

De Propositione.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

PROPOSITIO *est breuis rei tractandæ comprehensio*. Hanc aliqui volunt extremam esse clausulam Exordij, nec partem ab eo distinctam: Fabius, & alij Narrationis, aut Confirmationis initium; nec semper necessariam esse, immò quandoque omittendam. (a) Nec dissentio, si loquuntur de Propositione, quæ in Causis Iudicialibus Narrationi subijcitur, quæ tunc omitti potest, cùm statum Causæ satis explicuit Narratio. At in alijs Generibus pro Narratione Propositio est, siue referatur ad Exordij finem, siue ad Confirmationis principium. Nulla certè Oratio haberi potest, nisi priùs Orator, qua de re dicturus sit, proponat; alioquin cæcus, & ignarus quò ten-

a Quintil. lib.4 c.4.

dat, Andabatarum more pugnabit.

Debet itaque Propositio paucis, apertisque verbis explicare, atque omnia summatim complecti, quæ in Oratione tractanda erunt. Aliquando simplex, atque indiuisa est; aliquando in partes distributa, quæ ternarium plerunque numerum non excedunt. Recta verò partitio totam Orationem illustrat, plurimumque confert ad seruandum ordinem; atque ad Auditorem docilem, attentumque reddendum: vt contra multiplex, obscura, nimiumque minuta distributio confusionem, ac tædium parit.

Cicero Philippica 7. primò simplicem Propositionem præmittit. *Ego ille, dicam sæpius, pacis semper laudator, semper author, pacem cum M. Antonio esse nolo.* Deinde vtitur partitione. *Cur igitur pacem nolo? Quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest. Quæ dum explico P. C. peto à vobis &c.*

Propositionum inuentionem arte tradi posse Fabius negat; cùm ingenium potiùs, & vsus, & imitatio ad eas valeant inueniendas. Cæterùm ex natura, & adiunctis rerum desumuntur, circa quas versatur Oratio.

In Genere Iudiciali Propositionem sug-

ſuggerit ipſa Cauſa, cuius ſtatum explicare debet. In Deliberatiuo, & Exornatiuo Propoſitiones aliquid ab Arte venuſtatis habere poſſunt, quæ reddantur Auditoribus gratiores. Hæc plauſibilem maximè Propoſitionem efficiunt. (a)

PARADOXVM: ex. gr. ſit hæc Propoſitio probanda. *Glorioſa eſt clementia in victos*. Hæc nihil hactenus nouum habet, nihil mirabile, quo plauſum mereatur. Mirabilis eadem videbitur ad Paradoxum traducta, ſi dices. *Nulla maior victoris gloria, quàm ipſam viciſſe clementia victoriam*. Iiſdem fermè verbis Cæſarem Tullius laudat in Oratione pro M. Marcello. *Ipſam victoriam viciſſe videris, cum ea ipſa, quæ illa adepta erat, victis remiſiſti*. Eleganti Paradoxo, vſus eſt D. Io: Chryſoſtomus, (b) qui Orationem habiturus ad populum Antiochenum, qua oſtenderet, vtilem eſſe beneficentiam in pauperes, hoc ita propoſuit. *Eleemoſina ars eſt omnium artium quæſtuoſiſſima*; quod idem eſt, ac ſi diceres. *Quæ largimur pauperi, lucramur*.

ANTITHESIS, ſeu *CONTRAPOSITVM*: cùm ſcilicet oppoſitis con-

a *Paulus Areſius de Arte concion. lib.* 1. c. 9. b *Tomo* 5. *hom.* 33.

conflata videtur Propositio, quæ inter se pugnent. Ex. gr. *Tenax auaritia inops opulentia est. Filium odit, qui nimis amat. Nihil aliud est longior vita, quàm mors prolixior.* Dicere poteras. Misera auaritia est, cui opes nulli sunt vsui. Filio nocet nimius parentis amor. Infelix est longior vita. Sed quantò maiorem gratiam illæ Antitheses habent?

COMPARATIO: ex. gr. *Regnum magis tuetur populorum amor, quàm terror armorum. Certior est in aduersis, quàm in prosperis fides.* Si Comparationes adimas, minus vtique laudis hæ Propositiones habebunt, si dicas. Amor populorum Regnum tuetur. Fides in prosperis incerta est.

ANTONOMASIA. Sic D. Carolum *absolutissimum numeris omnibus Præsulem*: D. Ferdinandum Castellæ Regem *Christianum Principem* propones. Si strenuus aliquis Heros laudandus, *non fabulosum Alcidem*; Si Romana præstans eloquentia Orator. *Latinum Isocratem ostendes.*

ALLEGORIA, seu *METAPHORA*. Ita de Deipara Virgine dicturo facilè occurret *Nostræ Salutis Aurora*, *vel Iris Pacis nuntia*, vel *Cynosura in huius mortalitatis Oceano fluctuantibus affulgens.* De D. Theresia *Diuini*

amo-

amoris Ætna. De D. Rosa Limana Virgine, si nomen spectes, & miram vitæ austeritatem æquè, ac sanctitatem. *Florens in vepribus Rosa*.

Verùm hæc translata multum habent pompæ, nec minus periculi. Nec omnibus æquè placent Metaphoricæ Propositiones, doctis maximè, grauibusque viris; nisi qua conuenit, arte tractentur, quod omnium non est. Id enim vim ingenij, & copiam Eruditionis requirit, quæ si desint, euenit sæpè, vt Metaphoræ ascifcantur, quæ Personarum, rerumque dignitati non respondeant, vt Oratio ab argumento deflectat, vel ad frigida, & inepta dilabatur.

Alia insuper Schemata, quæ faciunt Orationem argutam, elegantiores reddere Propositiones possunt. At quis omnes horum formas colligat? cùm ipsa materiæ diuersitas diuersas excitet species, atque acuat ingenia, vt pro rerum opportunitate noua inueniant, quæ nunquam Ars præmonstrauit.

Illud firmum sit; in deligendis Propositionibus non tam spectanda, quæ placeant, quàm quæ conueniant, & probari commodè possint; ne cùm *amphora institui cœperit, currente rota vrceus exeat*. Nec eos imitetur Græ-

cos Orator, qui mira inſcriptionum felicitate, propter quas, vt ait Plinius (a) vadimonium deſeri poſſit, libros commendauere lecturis, cæterùm intus meris inanijs plenos. Omninò buccæ noſcenda eſt menſura ſuæ. (b)

De Confirmatione.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

CONFIRMATIO, ſeu Contentio, *eſt pars Orationis, quæ argumentando noſtræ Cauſæ fidem, & authoritatem, & firmamentum adiungit*, (c) breuiùs, *eſt rei propoſitæ probatio*.

Hæc tandem Oratio eſt. Præmiſſæ hactenus partes paucis admodum verbis ſuppleri ſæpiſſime poſſunt, vnica ſcilicet Propoſitione. Hìc tota vis dicendi eſt; hìc labor, hìc pugna; cuius victoria pendet ab idoneo Argumentorum vſu, & ordine.

Optimus, & acceptiſſimus ordo hìc eſt; (d) vt validiora præcedant; quæ leuiora fuerint, in mediam turbam conijciantur, præſtantiſſima in extremo ordine collocentur: quanuis & à minimis creſcere poſſint, vt ratio Cauſæ

a *In Præfatione Naturalis hiſt.*
b *Iuuen. Sat.* 11. c *Cic. de Inuent. lib.* 1.
d *Idem de Orat. lib.* 2.

ſæ poſtulabit : nunquam tamen à potentiſſimis ad leuiſſima decreſcat Oratio.

Quæ firmiora ſunt argumenta, fuſiùs explicanda: infirmiora, congreganda ſunt; vt mutuo roborentur auxilio, & ſi valere non poſſunt, vt magna, valeant vt multa. (a) Id quoque ſpectandum, vt varietatem habeat Argumentatio, quam afferunt variæ illius formæ. Raro apertum Enthimema, rariùs integrum Syllogiſmum adhibere ſolent Oratores. Frequentiùs naturalem partium ordinem mutant; modò Aſſumptionem, modò Complexionem præmittunt, ſiue probationem Aſſumptionis, vel Complexionis. Aliquando ſingularum Propoſitionum rationes afferunt, aliquando omittunt; modò Argumentationem Concluſione abſoluunt, modò hanc deducendam Auditoribus relinquunt.

Neque Dialecticorum more certandum: illorum enim eſt diſputare, & loqui; Oratorum autem dicere, & ornare. (b) Veſtiendæ itaque opportunis Amplificationibus Argumentationes, & Figuris exornandæ. Minoris ponderis Argumenta nuda vibrentur: grauiora illuſtriori cultu tractentur; cùm

a *Quintil. lib. 5. c. 12.*
b *Cic. in Orat.*

omnia ex Fabio admittant ornamenta, ea tamen lege, vt hæc impedimento non ſint, nec afferant obſcuritatem, neq; vim Argumentationis retundant. (a)


Amplificatæ, & ornatæ Argumentationis luculentiſſimum exemplum habes in Oratione pro lege Manilia, cuius confirmatio tota fermè hoc vno nititur Syllogiſmo.

Qui præſtat ſcientia rei militaris, virtute, authoritate, felicitate, ſummus eſt Imperator.

Atqui Pompeius his omnibus præſtat.

Ergo eſt ſummus Imperator; ac proindè præ cæteris ad bellum contra Mithridatem gerendum eligendus.

Incipit Syllogiſmi Propoſitio ab illis verbis: *Ego enim ſic exiſtimo in ſummo Imperatore &c.* Tum ſequitur Aſſumptio. *Quis igitur hoc homine vnquam ſcientior fuit &c.* Hæc latiſſimè funditur ſingulis partibus amplificatis, & confirmatis vſque ad Complexionem. *Quare cum & bellum ita neceſſarium ſit &c.*



De

a *Quintil. lib. 5. c. 14.*

De Confutatione.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

CONFVTATIO, seu Refutatio, vel Reprehensio, *est pars Contentionis, quæ Causæ aduersantia dissoluit.* Quanuis in distributione partium Orationis postConfirmationem collocetur, non semper eundem locum tenere debet, cùm illius dispositio sit Causæ accommodanda. Si agimus, nostra confirmanda sunt primùm, tum quę nostris opponuntur, refutanda. Si respondemus, priùs incipiendum est à Refutatione. *Quintil. lib.5.c.13.*

Non ex alijs Locis ratio Argumentorum pro Confutatione peti potest, quàm pro Confirmatione; nec verborum, aut sententiarum, & Figurarum alia conditio est.

In refellendis Aduersariorum Argumentis eorum ordo (si commodè fieri potest) inuertendus; vt mediocria priùs dissoluenda proponantur, fortiora collocentur in medio: in finem imbecilliora reijciantur.

Confutari possunt, quæ objiciuntur, aut illa negando, nisi adeò manifesta sint, vt negari nequeant; aut ostendendo dubia esse, vel minùs probabi-

lia, siue leuiora: vel in Aduersarios retorquendo. Nonnunquam veteratoria digressione vis Argumenti eluditur; facetijs quoque rerum grauitas eleuatur, ac trahitur ad risum. Ita festiuè Tullius in Oratione pro L. Murena iocatur in Iuris Ciuilis peritiam, quā S. Sulpicius florebat, & in Stoicam M. Catonis Philosophiam, atque aduersantem vtriusque authoritatem ludendo imminuit. Vide quæ diximus de Diminutione.

Confutationi plurimùm seruiunt Adiuncta Personæ, loci, temporis &c. Quæ factum antecedunt, comitantur, subsequuntur, omnia denique circunstantia perpendenda; examinanda quoque malignitas æmulorum, vt inde capita Confutationis desumantur. Tandem ipsæ Aduersariorum rationes responsionem suggerent: nam quibus ex Locis aliqua res confirmari potest, ijsdem potest ex Locis infirmari. (a)Cicero pro Roscio ab Adiunctis Personæ, & ab atrocitate facti ostendit, probabile non esse parricidium ab ipso fuisse commissum.

Patrem occidit Sex. Roscius? Qui homo? Adolescentulus corruptus, & ab hominibus nequam inductus? Annos natus magis quadraginta. Vetus sci-

a *Cic. de Inuent. lib. 2.*

ſcilicet ſicarius, homo audax, & ſæpe in cæde verſatus? At hoc ab Accuſatore ne dici quidem auditis &c.

De Peroratione.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

PERORATIO *eſt exitus, & determinatio totius Orationis*, (a) dicitur etiam Concluſio, & Epilogus. Duas partes habet, Enumerationem Græcè Anacephaleoſim, & Amplificationem.

ENVMERATIO eſt breuis rerum præcipuarum collectio. Non ergo tota Oratio reuoluenda, ſed ſumma tantùm, grauioraque capita colligenda. Quæ autem enumeranda videntur, cum pondere aliquo dicenda ſunt, & aptis excitanda ſententijs, & Figuris vtique varianda; alioquin nihil eſt recta illa repetitione odioſius. (b) Vtimur autem Enumeratione, cùm vel reficienda eſt Auditorum memoria, vbi fuerit Oratio prolixior, vel cùm maiorem vim habitura eſt Cauſa, ſi tota ſimul ante oculos ponatur.

AMPLIFICATIO eſt vehemens quædam Argumentatio, ad motum ani-

a *Idem de Inuent. lib. 1., & in Partit. Orat.* b *Quintil. lib. 6. cap. 1.*

animorum instituta. (a) Siue est facti, vel rei Exaggeratio, per quam Auditorum commouentur affectus. Adhibetur quidem in reliquo etiam Orationis cursu Amplificatio, de qua alibi plura diximus: at illa docendi causa fit, hæc commouendi. Et quanuis Exordium, & cæteræ partes affectus aliquos admittant, leniores tamen, & breuiores; Peroratio in his validiùs excitandis omnes Eloquentiæ vires exercet. Hìc proprius augendi locus: hìc tota pandere possumus vela: hìc verbis, atque sententijs vti licet magnificis, atque ornatis, tum grauioribus, atque vehementioribus Figuris; cuiusmodi sunt Apostrophe, Deprecatio, Prosopopœia &c.

De Affectibus.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

De mouendorum Affectuum Arte scripsere complura doctissimi Viri: sed operosa, diffusaque præcepta, & petitas à Morali Philosophia de humani animi motibus disputationes Tirocinium istud non capit. Pauca tantùm aduertenda ex instituto meo summatim excerpam, quorum facilior,

a Cic. in Partit.

lior, atque vtilior cognitio sit ijs præsertim, quibus ea nondum est Eloquentiæ vis, & authoritas, qua valeant aliorum animis imperare; satisque est, si leuiori aliquo conatu mouere discant affectus, vt ijsdem expugnandis præludant.

Aduerte itaque primò quemlibet humani animi affectum aliquo bono, vel malo moueri. Nihil enim aliud est affectus, *quàm animi commotio, ex opinione boni, vel mali exorta*.

Proposito aliquo bono, vel honesto, vel vtili, vel delectabili mouetur *AMOR*, natura propensus in bonum, vt bonum: quòd si bonum est absens, oritur *DESIDERIVM*; si venturum, *SPES*; si præsens *GAVDIVM*, seu *LÆTITIA*. Sic amamus Pacem, vt bonam, desideramus absentem, speramus futuram, ea reddita, præsentiq; gaudemus.

Malo mouetur *ODIVM*, *IRA*, *TRISTITIA*, *TIMOR*. *ODIVM* in malum, vt infestum, vel inuisum insurgit. *IRA* ad malum præsens depellendum exardescit. *TRISTITIA* de malo præsenti dolet. *TIMOR* venturum formidat. Ita odimus improbos, vel nobis inimicos; irascimur inferentibus iniuriam, ad quam depellendam excitamur; tristamur bo-

norum, vel amicorum iactura; timemus ob aliquod impendens discrimen.
DESPERATIO ex mali auertendi, vel acquirendi boni diffidentia nascitur. Sic præpotentis aduersarij violentia oppressus desperat Causæ victoriam. Ex alieni mali consideratione, quod immerenti aduenerit, *MISERICORDIA*, seu *COMMISERATIO* suboritur; hinc eorum miseremur, quos fortunis iniustè spoliatos videmus. *CLEMENTIA* malum auertit, quod Ira minatur. Hinc læsus, iratusque Princeps mitigato precibus iniuriæ dolore dat reo supplici veniam. Longum esse ire per singulos Affectus, quorum varia sunt nomina, multiplex apud Authores distinctio: sed ad primores, quos recensui, reliqui referuntur, vt *ÆMVLATIO* ad *DESIDERIVM*, *ADMIRATIO* ad *LÆTITIAM*, *VERECVNDIA*, & *REVERENTIA* ad *TIMOREM*, *INDIGNATIO* ad *IRAM*, *INVIDIA* ad *ODIVM*.

Mouentur igitur Affectus proposito eo bono, vel malo, quod proprium est cuiusque inuitamentum; neminem verò esse arbitror, qui facilè non intelligat *GAVDIVM* rebus iucundis, *TRISTITIAM* mestis, *MISERICORDIAM* miserandis excitari; nec iniuria, & contemptu; sed animi demissione,

ſione, deprecatione, atque Orationis illecebris *MANSVETVDINEM* flecti: *DESIDERIVM* non damno, & incommodo; ſed explicata optabilis boni præſtantia, & vtilitate moueri.

Vehementiorum Affectuum commotiones, aut lenioribus temperantur, aut contrarijs infringuntur. *IRA*, & *ODIVM*, *COMMISERATIONE*, & *CLEMENTIA* leniuntur. *TRISTITIA*, *TIMOR*, *DESPERATIO* *SPE* melioris euentus mitigantur. Intemperans *GAVDIVM* timore amittendi boni compeſcitur.

Aduerte ſecundò, conſiderandum prius eſſe Cauſæ ſtatum, & finem, quem dicendo ſpectas, vt ad eum obtinendum aptos animorum motus adhibeas. Exornatio, ac Laudatio *GAVDIVM*, & *ADMIRATIONEM*; Malorum Reprehenſio, ac Vituperatio *INDIGNATIONEM*, ac *ODIVM* requiret; Funebris Oratio *TRISTITIAM*. In Suaſionibus *SPEM*, ac *DESIDERIVM*, in Diſſuaſionibus *TIMOREM*, ac *DESPERATIONEM* excitabis. *IRÆ*, ac *ODII* commotionem exiget Accuſatio, *COMMISERATIONIS* Defenſio. Sed fruſtra tentabis animorum motum, niſi argumenta præceſſerint, quæ propoſitæ rei fecerint fidem.

Ad-

Aduerte tertiò, res ipsas satis valere ad mouendos affectus, quorum tamen fuerint capaces, dum ea tractentur Energia, vt non solùm audiri, sed & oculis cerni videantur. Nam si ex. gr. Sanctorum Innocentium stragem proponas, quid ni facilè moueantur Auditorum animi ad odium in Herodem, ad pietatem in cæsos infantes si lacrymabilem eam lanienam oculis subijcias? Truculentos milites non tam ferro, quàm Regiæ cupiditatis furore armatos, in imbellem fœminarum, & lactentium pusionum gregem sæuientes: vix primùm editos in lucem partus, aut cum matribus confossos, aut abstractos ab vberibus, in frusta discissos; mistas cum morientium sanguine superstitum lacrymas, miseram orbitatem plorantium; sparsa toto Regno funera, & vndique resonantes parentum eiulatus, infelicissimam fœcunditatem damnantium &c.

Magnam itaque vim hìc habent Adiuncta personarum, & rerum: hæc enim explicata efficiunt, vt quasi, quæ dicuntur, præsentia spectet Auditor, efficaciùs moueatur. His vtitur egregiè Cicero tum in alijs Perorarotionibus, quibus excellit, tum maximè pro L. Murena, quem Consulem designatum contendebant Accusatores, vt

Am-

Ambitus reum, non modò empto Consulatu exturbandum, sed etiam multandum exilio.

Quæ cùm ita sint, Iudices, primùm Reip. causa, qua nulla res cuiquam potior debet esse, vos pro mea summa, & vobis cognita in Remp. diligentia moneo &c., & pro Milone.

Quid restat nisi, vt orem, obtesterque vos, Iudices, vt eam misericordiam tribuatis fortissimo viro &c.

Aduerte quartò, accommodandam esse Affectibus Orationem: molliores enim commotiones, vt amoris, & Commiserationis lene dicendi genus, mitioresque Figuras desiderant. Vehementiores Affectus, vt Indignationis, & Odij acriorem exigunt Orationem, quæ cæsim, ac membratim feratur, multa per Congeriem torrentis in morem voluat, crebris Interrogationibus, Repetitionibus, alijsque validioribus Figuris vtatur. Sed parùm omnia proderunt, nisi ardeat Orator, vt alios accendat; & nisi quos in alijs excitare motus volet, in se ipso impressos, & inustos verbis, sententijs, voce, vultu ostendat. (a) Summa circa mouendos Affectus (vt Fabius sentit) in hoc posita est, vt moueamur ipsi: nam & luctus, & iræ, & indignationis aliquando ridi-

a *Tullius de Orat. lib. 2.*

dicula fuerit imitatio; si verba, vultumque tantùm, non etiam animum accommodauerimus. (a) Tullius quidem fatetur, se non tam ingenio, quàm dolore assecutum, vt in excitanda miseratione excellere videretur. (b) Verùm non omnis Causa grauiores motus admittit, vt idem monet; nam neque paruis in rebus adhibendæ sunt hæ dicendi faces, neque ita animatis hominibus, vt nihil ad eorum mentes Oratione flectendas proficere possimus; ne aut irrisione, aut odio digni putemur, si aut Tragœdias agamus in nugis, aut conuellere adoriamur ea, quæ non possint commoueri. Non omnis præterea Orator quibuscunque Affectibus excitandis idoneus est; cùm id præter Eloquentiæ præstantiam, idoneam etiam ad exprimendas, & imprimendas commotiones, naturam, tum flexilem pro earum diuersitate vocem requirat. Adde plurimum valere ad mouendos animos authoritatem dicentis. Hinc apud Virgilium furentes etiam seditione populi, dum *furor arma ministrat;*

Tum pietate grauem, ac meritis si fortè virum quem
Conspexere, silent, arrectisq; auribus astāt:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.
1. *Æneid.*

Inde

a *Quintil. lib.6. c.2.* b *Cic. in Oratore*

Inde eſt, quòd illi minùs apti ſunt ad grauiores Cauſas pertractandas, ac multitudinem vehementiori aliquo motu feriò flectendam, quos nondum ætas, ac meritum, vel fama commendat. Plura de mouendis Affectibus apud Ariſtotelem leges lib. 2. Artis Rhetor., apud Tullium lib. 2. de Oratore, & apud Quintilianum lib. 6. c. 2.

Poſt Inuentionem, ac Diſpoſitionem partium Orationis, de Elocutione agendum nunc eſſet; at cùm in prima Parte tradiderim, quæ ad illam ſpectant, veluti prima Eloquentiæ Præludia, pauca tantùm, quæ ſupererant, hoc loco ſubijciam.

De Triplici genere dicendi.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

TRia ſunt genera dicendi. *TENVE, MEDIOCRE*, ac *SVBLIME*: (a) *TENVE*, quod & ſubtile, & acutum vocatur, ſubmiſſum, ac humile eſt, verbiſque vſitatiſſimis quotidianam loquendi conſuetudinem imitatur. Negligit Periodici numeri, & concinnitatis curam; ita quidem, vt non ingratam indicet negligentiam hominis, qui de

a *Cicero in Oratore.*

de re potiùs, quàm de verbis laboret. Sermone vtitur puro, & Latino; ſed plano, ac dilucido. Grauiores Amplificationes, illuſtriores Figuras, tum verborum, tum ſententiarum deuitat; translationes tantùm familiares, & notiores admittit, non audaces, & à communi vſu remotas; acutas, crebraſque ſententias vibrat, interdum & ſales. At quamuis dicendi tenuitas, & ſubtilitas imitabilis exiſtimanti videatur, non tam facilis eſt experienti, multum enim artis habet callidiſſima ſimplicitatis imitatio; ideo à ſummis etiam Oratoribus quæſita; quòd probabilem faciat Orationem. Hoc genus ad res potiùs explicandas, quàm exornandas valet, aptumque eſt ad docendum, ac probandum. Conuenit maximè familiaribus Epiſtolis, amœnis Narrationibus, ac tenuioribus Cauſis. Huiuſmodi dicendi genere vſus eſt Cicero in Oratione pro A. Cecinna, quæ tota fermè in explicandis, diſtinguendis, ac definiendis rebus conſiſtit.

MEDIOCRE, ac temperatum vberius eſt, atque aliquantò robuſtius tenui, inferius autem ſublimi; nec illius acumine vtitur, nec fulmine iſtius, pluſque ſuauitatis habet, quàm virium. Placidum, ac ſedatum vno tenore in dicendo fluit; ac verborum, ac ſenten-

ten-

tentiarum luminibus diſtinguitur, & elegantioribus translatis, omneſque adhibet Orationis ornatus. Accommodatum eſt ad delectandum, ad exornationes, ad eruditas diſputationes, atque ad ſcribendas Hiſtorias. Huic Generi adſcribuntur Tullij Orationes pro Lege Manilia, pro Archia Poeta, poſt reditum ad Quirites, & in Senatu, & pro M. Marcello.

SVBLIME, quod vehemens, & amplum dicitur, validiores vires habet, cum pari ornatu, & copia. Huius eſt exaggerando, & amplificando Orationem attollere, atque efficacibus admouendos affectus Figuris in quanlibet partem Auditores non vertere modò, ſed quaſi violenter impellere. Hinc Fabius mediocre genus lucido amni comparat, qui virentibus vtrinque ſyluis inumbratus leniter fluat; ſublime iſtud, ac vehemens torrenti, qui ſaxa deuoluit, & pontem indignatur, & ripas ſibi facit, ſecumque rapit vel contra nitentes. (a) Excellit in flectendis animis hoc genus, eoque res magnæ tractantur, & cauſæ grauiores. Affert in exemplum Tullius Orationem ſuam pro C. Rabirio, in qua (vt ipſe teſtatur) cùm ageretur de Maieſtate tuenda, in omni genere Amplificationis exarſit.

Ex-

a *Quintil. lib.* 12. *cap.* 10.

Excellet igitur, qui tribus his dicendi generibus præstabit Orator: quanuis in singulis quosdam, æquè in omnibus perpaucos floruisse Cicero affirmet; immò neminem adeò eloquentem vel fuisse, vel fore sentiat Brutus. Eximiæ verò prudentiæ, atque artis est eam triplicem varietatem moderari; vt enim non omnes eadem vestis, ita non omnia decet eadem ratio dicendi. Parua submissam postulant, mediocria temperatam, magna sublimem. Nec diuersæ solum Orationes, quarum non eadem materia est, at eiusdem Orationis partes aliæ alia forma tractandæ; atque, vt res feret, modò subtiliter, modò temperatè, modò grauiter dicendum; vt videre licet in Actionibus contra Verrem, pro Cluentio, pro L. Cornelio Balbo, & alijs &c.

Sed est Eloquentiæ, sicut reliquarum rerum fundamentum, Sapientia. Vt enim in vita, sic in Oratione, nihil est difficilius, quàm, quid deceat videre. Nam nec semper, nec apud omnes, nec contra omnes, nec pro omnibus nec omnibus, nec vbique eodem modo dicēdum. Quare sagaci iudicio est opus, vt perspiciat Orator, quid expediat, quid rebus, personis, loco, ac tempori conueniat, ijsque Orationem accommodet, ac seruet in omnibus Decorum.

Hæc

Hæc eadem triplex dicendi ratio variè admodum tractatur. In sublimi enim genere alijs ampla est sententiarum grauitas, maiestasque verborum; alijs aspera, ac tristis Oratio: alijs vberior copia, & vis affectuum. In tenui quidam subtiles, pressi, & limati; in eodem genere alij callidi, sed impoliti, & consultò rudium similes, & imperitorum; alij faceti, & leuiter ornati. Quare multiplex est Orationis forma, & mira styli diuersitas, cuius colligi species vix possunt; cùm & naturæ variæ, & voluntates multùm inter se distantia effecerint genera dicendi; nec elocutione minùs differamus, quàm vultu.

Aliter quoque dicendi genera diuiduntur in Asiaticum, Atticum, & Rhodium, spectata Orationis copia, parcitate, & mediocritate. Asiaticum profluens, diffusum, ac redundans opimum, ac adipale, siue (vt alij legi malunt) adipatum Cicero vocat. Atticum pressum, & castigatum. Rhodium inter vtrunque medium. Alij pressum dicendi genus Laconicum vocant: Atticum elegans, venustum, suaue, hinc Attici sales, Atticus lepos; & Xenophon ob iucunditatem sermonis dictus Attica Musa. Tullius certè Atticum vocat salsum, salubre, incor-

rup-

ruptum; quod omnes Eloquentiæ partes attingat. Varia dicendi genera vide apud Tullium in Oratore, & Quintilianum lib. 12. cap. 10.

De tribus Orationum Generibus, & primò.

De Demonstratiuo.

CAPVT DECIMVMNONVM.

GENVS DEMONSTRATIVVM, *seu Exornatiuum, in laudando, ac vituperando positum Græcè Epidicticum nominatur; quòd quasi ad inspiciendum delectationis causa comparatum est.* (a) Tempus præteritum respicit, & præsens, non futurum; nec enim adhuc laudari, aut vituperari futura possunt. Cæterùm Genus amplum est, ac varium, quanuis pompæ aptius, quàm pugnæ, & ad alendam Eloquentiam, nec solùm ad benè dicendum, sed etiam ad honestè viuendum, Tullij testimonio, perutile: cùm virtutum laude, vitiorumque vituperatione ad eas inuitet, ab his deterreat. Quare illius finis est, cùm laudat, honestas; cùm vituperat, odium turpitudinis.

Materia itaque Generis Demonstratiui

a Cic. in Orat., & in Partit. Orat.

tiui eſt quidquid laudari poteſt, vel vituperari, ſed præcipuè Virtus, & Vitium, quæ plurimùm ſpectat; immò à meliori ſui parte Laudatiuum, & Panegyricum dicitur, quòd frequentiùs ad celebres præſtantium Virorum commendationes adhibetur. Gallus (a) & alij plura præſcribunt de ratione laudandi perſonas, facta, virtutes, ſcientias, artes, Vrbes, rerumque ſpecies diuerſas. Ego verò, qui compendia ſequor, Antonij ſententiæ ſubſcribo: (b) Non omnia (inquit) quæcunque loquimur mihi videntur ad artem, & præcepta eſſe reuocanda. Ex his enim fontibus, vnde omnia ornatè dicendi præcepta ſumuntur, licebit etiam laudationem ornare, neque illa elementa deſiderare, quæ vt nemo tradat, quis eſt qui neſciat, quæ ſint in homine laudanda? nempe bona fortunæ, animi, corporis, virtutes & geſta. Hæc, & quæ ſint eius generis facilè videbit qui volet laudare quenpiam, & qui vituperare, contraria.

Scio quidem neceſſariam eſſe Oratori Virtutum, Vitiorumque cognitionem, ſine qua nec bonum Virum propriè, & copioſè laudari, nec improbum notari ſatis inſigniter atque aſperè poſ-

D ſe

a *Rhet. l. 1. à cap. 14. ad 22.*
b *Apud Cicer. lib. 2. de Oratore.*

se Cicero docet. Sed hæc Rhetoricæ Artis Epitome perfectum Oratorem non format; quem non solum Philosophiæ moralis, sed etiam Dialecticæ, Physicæ, tum Iuris Ciuilis, ac Historiæ, Diuinarum, & Humanarum rerum peritum esse vult idem Cicero. Hæc autem omnia quis vnquam putet Eloquentiæ incunabilis includenda? De Virtutibus, ac Vitijs vide Aristotelem in Moralibus, Tullium in Partitionibus, & lib. 2. de Inuent., & Galli Rhetorem loco superiùs citato.

Exornatiua Oratio vi Argumentorum non vtitur, ad delectandum magis, leniterque tractandos animi motus, quàm ad fidem faciendam, resque confirmandas, accommodata. Non enim illius est dubia firmare, sed ea, quæ certa, aut pro certis posita sunt, augere, ac ornare. Liberum est Oratori Exordium vndecunque desumere, vt alibi diximus, argumento tamen conueniens. Vide quæ de Exordio, & de propositione habentur Cap. 10., & 13.

Confirmatio tota ferè Narrationibus, & Amplificationibus constat. In exornanda vita, factisq; exponendis vel seruanda erit ætatum, ac temporum series; vel facta illustriora præmittenda, & amplificanda, cæteris pressiùs collectis; vel ad certa Virtutum Capi-

ta

ta reuocanda; præsertim cùm multa suppetunt, quod plurimum conducit ad Orationis ordinem, & modum tenendum, ne singulis immorando prolixior fiat.

Peroratio non graues habebit commotiones; sed aut admirationem excitabit, aut accendet ad imitationem Virtutis, vel breui meritorum eius, qui laudatur, enumeratione gratam illorum memoriam, ac reuerentiam, Auditorum animis imprimet; vel alia, quam opportuniorem viderit prudens Orator, claudendæ Orationis forma vtetur.

Vituperatio eadem fermè ratione, qua Laudatio, disponetur, ac tractabitur: sed Peroratio indignationem in eum, qui vituperatur, aut potius Vitij detestationem continebit.

Nullum autem Genus est, quo magis Oratio splendeat, seque magis ostentent ingenia. Florida itaque, ornata, & variata Figuris, numerosa, & affluens, sententijs arguta, verbis sonans, erudita, & prorsus ad aurium voluptatem, ac plausum composita est Epidictica Elocutio.

Illustriores huius Generis Orationes sunt.

GRATVLATORIÆ, seu *EPINICIA*, quibus vtimur in quouis læto,

faustoq; euentu, vt in celebranda victoria, in magistratuum instauratione, in Præsulum inauguratione ; in Principum aduentu, in tradendis laureis &c. Huc referri possunt *EPITHALAMIA*, seu nuptiales Orationes, quæ felix coniugium sponsis, familiæ, populis gratulantur,& Coniugum, Maiorumq; laudes continent, fausta omina, spemque clarissimæ sobolis. Affines sunt *GENETHLIACÆ*; quæ in die natali habentur siue cùm recens natus est Infans, vel cùm annua recurrit eius diei commemoratio.

EVCHARISTICÆ, seu Gratiarum actiones, quibus ad grati animi significationem accepta beneficia celebramus.

FVNEBRES, quibus illustrium Virorum mortem deploramus, vitam, virtutesque laudamus. Extinctum Crassum grauissimè deflet, ac laudat Cicero in principio libri 3. de Oratore. Idem in Philippica 14. circa finem egregiè commendat Martiæ Legionis milites, qui pro Rep. pugnantes in Antonium, generosa morte gloriam meruerant immortalem.

De varijs huiusmodi Orationum speciebus plura dabit Galli Rhetor.lib. 2. à capite 29. ad 32. Multa de singulis præscribi possunt; at magis proderunt exem-

exempla. Peruolue Panegyricos veterum Oratorum, præsertim Plinij secundi ad Traianum, & Latini Pacati ad Theodosium. Ibidem habes luculentam Ausonij Gratiarum actionem pro Consulatu ad Gratianum, & Mamertini Genethliacum in die natali Maximiani Augusti.

Nec desunt apud Tullium exempla; Oratio pro M. Marcello, prima post reditum ad Quirites, & altera post reditum in Senatu, sunt Gratiarum actiones.

Oratio pro Lege Manilia, & pro Archia Poeta, magna ex parte in laudando versantur.

Si quæris Vituperationes facilè occurrent. Lege Orationem in Pisonem, primam in Catilinam, secundam, & quartam in Antonium, & ex Verrinis plerasque.

De Genere Deliberatiuo.

CAPVT VIGESIMVM.

GENVS *DELIBERATIVVM*, *siue Suasorium*, *vel Concionatorium*, *est*, *quod in consultatione positum Suasionem habet*, *vel Dissuasionem*. Spectat futurum tempus: nam de futuris tantùm Deliberatio fit. Suasionis finis

eſt vtilitas aliqua conſequenda: Diſſuaſionis damnum aliquod euitandum. Materia huius Generis eſt quidquid ſuaderi poteſt, vel diſſuaderi.

Suaſionis Argumenta ſumuntur ab Vtili, ab Honeſto, à Poſſibili, & Facili, à Neceſſario, & Iucundo.

Ab Vtili ſuademus; exponendo commoda, & emolumenta, quæ ab eo, quod ſuademus, prouenient.

Ab Honeſto, demonſtrando rem eſſe cum Virtute, & Gloria coniunctam.

A Poſſibili (quæ vox, cum dura videatur, vt notat Quintilianus, ſola tamen apud Latinos eſt) (a) proponendo adiumenta, & opportunitates, quæ ad rem obtinendam valeant.

A Facili; oſtendendo ſine magno, aut ſine vllo labore, ſumptu, moleſtia, quàm breuiſſimo tempore confici poſſe, quod dicimus. (b)

A Neceſſario; probando, non aliter fieri poſſe. Duplex autem neceſſitas eſt: alia ſimplex, & abſoluta, quæ nulla vi mutari poteſt: ita neceſſarium eſt mortale corpus aliquando interire; alia cum adiunctione aliqua, ſeu conditione: ita neceſſaria ſunt arma, ſi pugnare velis in hoſtem. Cùm ſimplex

a *Quintil. lib. 3. cap. 8.*
b *Cic. lib. 2. de Inuent.*

plex erit necessitas, non erit, cur multa dicamus, cùm eam nulla ratione lenire possimus: cùm autem ita necesse erit, vt aliquid effugere, aut adipisci velimus, tum adiunctio illa, quid habeat vtilitatis, aut honestatis, erit considerandum.

A Iucundo suademus; explicando, quæ sint in re delectabilia.

At non quælibet Suasio ex omnibus his capitibus Argumenta sumet, sed ea tantùm adhibebit, quæ Causa feret. Accommodanda præterea est non ad veritatem solùm, sed etiam ad opiniones eorum, qui audiunt, Oratio. (a) Nam indocti, & agrestes anteferunt semper Vtilitatem Honestati. Sapientes, Nobilesque Viri rebus omnibus Dignitatem anteponunt. Quare apud homines bene institutos plurimum de Laude, & Honestate dicemus: rudibus & imperitis Vtilitates proponemus, aut eos Necessitate vrgebimus, vel malorum, ac ignominiæ timore: non enim tam honesta expetunt, quàm turpia deuitant; nec vllus est adeò agrestis, quem non, si ipsa minus Honestas, contumelia tamen, & dedecus magnopere moueant. Quare iuuabit à contrario ostendere, quæ ventura sint mala; quæ secutura turpitudo, nisi

a *Idem in Partit. Orat.*

recta suadenti acquiescant.

Cautè Alexander pugnaturus in Persas varia Oratione milites alloquebatur pro varijs eorum ingenijs. (a) Macedones, gloriæ nimirum cupidos, tot bellorum in Europa victores, ad subigendam Asiam, atq; vltima Orientis, non ipsius magis, quàm suo ductu profectos, inueteratæ virtutis admonebat. Græcis illatas Græciæ à Persis clades memorabat. Illyrios verò, & Thracas rapto viuere assuetos, aciem hostium auro, purpuraque fulgentem intueri iubebat, prædam, non arma gestantem.

Dissuasio eadem præcepta seruat, quæ Suasio; sed oppositis vtitur argumentis: hoc est ab inutili, & Pernicioso, à Turpi, ab Impossibili, (b) ac Difficili, ab Iniucundo; ab omnibus denique periculis, incommodis, molestijs, quæ auertere animos possint.

Euthymon apud Q. Curtium lib. 5. socijs Græcis, quos Persæ captiuos varijs suppliciorum generibus deformauerant, reditum in Patriam dissuasit à Turpi, ab Iniucundo, à Difficili. A Turpi: quod inusta corporibus suis calamitatis, & ignominiæ stigmata indecorum esset Græciæ ostentare. Ab Iniu-

a *Q. Curtius lib. 3.*
b *Impossibile ex Quintil. lib. 5. cap. 10.*

Iniucundo, quòd ingrati ſuis futuri eſſent, inutiles, deformes, ac propè hominum monſtra; nemo enim fideliter diligit, quem faſtidit; nam & calamitas querula, & ſuperba felicitas. A Difficili; quòd longiſſimè abeſſent à Patria, nec itinerum incommoda ferre iam poſſent, ſenes, ac debiles.

Hi qui modo ad opem petendam ex tenebris, & carcere procedere erubuimus, vt nunc ſimplicitas noſtra eſt, ſupplicia, quorum nos pudeat magis, an pœniteat, incertum eſt, oſtentare Græciæ, velut lætum ſpectaculum, cupimus. Atqui optimè miſerias ferunt qui abſcondunt: nec vlla eſt tam familiaris infelicibus Patria, quàm ſolitudo, & ſtatus prioris obliuio &c.

Denique tam ad ſuadendum, quàm diſſuadendum magna vis eſt in Exemplis, quorum vſum Tullius commendat, nec vlli magis materiæ conuenire Fabius ait, cùm plerunque videantur reſpondere futura præteritis, habeaturque experimentum veluti quoddam rationis teſtimonium. (a)

Cicero pro Lege Manilia Maiorum Exemplo ſuadet bellum eſſe in Mithridatem acerrimè gerendum, qui grauiſſimis damnis, ac iniurijs Romanos, & Socios læſerat.

a *Quintil. lib. 3. cap. 8.*

Maiores vestri sæpe mercatoribus, ac Nauicularijs incuriosiùs tractatis bella gesserunt: vos tot Ciuium Romanorum millibus vno nuntio, atque vno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis? Legati, quod erant appellati superbiùs, Corinthum Patres vestri, totius Græcæ lumen, extinctam esse voluerunt: Vos eum Regem inultum esse patiemini, qui Legatum Populi Romani Consularem vinculis, ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necauit? &c.

Oratio in Genere Deliberatiuo breuiora postulat Exordia, nec exigit plerunque Narrationem, vt superiùs diximus. Propositio dilucida sit, cum distincta Partitione. Contentio rationes afferet ad rem suadendam, vel dissuadendam ex opportunis Locis, quos ante numerauimus, desumptas; & si quæ obstant, oppositis argumentis, & exemplis refellet. Peroratio paucis colliget ex antedictis, quid sit deliberandum, quidque sentiat Orator. In Suasione spem, ac desiderium excitabit, vel Æmulationem, aut Commiserationem, vt exiget rerum conditio; in Dissuasione Timoris, aut Pudoris motus adhibebit.

Tota autem Oratio simplex, & grauis, & sententijs debet ornatior esse,

quàm

quàm verbis. In Sapientium hominum consessu minori apparatu agendum, atque ex Tullij monito, ingenij, ostentationisque suspicio vitanda. (a)Concio ad populum capit omnem vim Orationis, & varietatem, grauitatemque desiderat. Non omnium tamen est de maximis rebus explicare consilium suum, sed præstantis, doctique, ac diserti Viri, vt mente prouidere, authoritate probare, Oratione persuadere possit.

Ad hoc Genus pertinet Oratio *CONSOLATORIA*, quæ ad leniendum in acerbo aliquo casu dolorem, animosque in aduersa firmandos adhibetur.

HORTATORIA, quæ validior Suasio est cum maiori Affectuum motu.

DEHORTATORIA, quæ conuenit cum *DISSVASORIA*.

CONCILIATORIA, quæ in sedandis animis, componendisque dissidijs versatur.

Huc refer *COMMENDATIONES*, *MONITIONES*, *POSTVLATIONES*, seu *PETITIONES*, quarum frequens in Epistolis vsus est, vt suo loco diximus; *SVASIONES* denique omnes, ac *DISSVASIONES*.

Suasoria est Oratio Tullij pro Lege

a *Cic. lib. 20. de Oratore.*

Manilia. 2. de Lege Agraria Dissuasoria est. 4. in Catilinam Hortatoria ad P. C. vt Coniuratos plectant.

De Genere Iudiciali.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

GENVS IVDICIALE *est illud, quod in controuersia positum Accusationem habet, vel Defensionem.* Respicit præteritum tempus; non enim adducuntur in Iudicium nisi iam facta: illius finis (ex Tullio) est æquitas. Accusator pœnam accusati spectat: Defensor absolutionem illius, quem defendit. Materia huius Generis est quidquid in forensem controuersiam reuocari potest.

Triumphauit olim Iudiciale Genus, & Artis Oratoriæ summam sibi gloriam vendicauit. Sed iampridem exulauit à foro, & à veris Causis, in quibus de fortunis, & de capite decernebatur, ad fictas transijt Declamationum contentiones: quare nihil propè sui nobis reliquit, præter impressa veterum Oratorum scriptis Eloquentiæ vestigia, & magni nominis vmbram.

Argumenta huius Generis desumuntur præcipuè ab omnibus illis Adiunctis Quis, Quid, Vbi &c., & à Locis

Ex-

Extrinsecis. Ad forenses præterea Causas tractandas Iuris Ciuilis scientia requiritur, quam ideo necessariam Oratori Tullius affirmat.

Pro Dispositione Iudicialis Orationis consule præcedentia Capita de singulis Orationis partibus, in quibus quæ maximè huc spectant inuenies. Elocutio in hoc genere varia est pro Caussarum dignitate, ac varietate rerum.

Ad Genus Iudiciale pertinet *ACCVSATIO*, *DEFENSIO*, & *INVECTIVA*; quæ est mordax Oratio in Personas, at potiùs in vitia; & si tantùm ad vituperandum vsurpetur, spectat ad Genus Demonstratiuum, si ad accusandum, nihil aliud est, quàm acrior Accusatio. His adde *OBIVRGATIONEM*, siue *REPREHENSIONEM* ob aliquod crimen: *EXPOSTVLATIONEM*, seu Conquestionem de accepta iniuria: *EXPROBRATIONEM* ingrati animi: *COMMINATIONEM* ad inferendum malorum timorem, ob patrata scelera, & *DEPRECATIONEM*, ad impetrandam reis veniam; quarum exempla in concionibus T. Liuij, & Q. Curtij plura inuenies.

Habes in T. Liuio lib. 2. ab Vrbe condita *EXPROBRATIONEM* Veturiæ ad filium Coriolanum, Romanis bellum inferentem. Aliam lib. 9.

EX-

EXPROBRATIONEM Claudij Pontij Samnitium Imperatoris contra Romanos. Eodem libro *ACCVSATIONEM* P. Sempronij Trib. Pleb. contra Appium Claudium. Libro 22. *INVECTIVAM* Ruffi Minutij in Q. Fabium lib. 26. *DEFENSIONEM* M. Marcelli ad P. C. in Syracusanos Oratores. Lib. 28. *OBIVRGATIONEM* P. Scipionis ad milites, qui falsò nuntiata illius morte seditionem mouerant.

In Q. Curtio lib. 6. *DEFENSIONEM* Philotæ lib. 8. *INVECTIVAM* Hermolai in Alexandrum lib. 10. *OBIVRGATIONEM* Alexandri in Macedones tumultuantes &c.

Iudiciales Tullij Orationes non est cur secernam, cùm plerunque in accusando, vel defendendo versentur. Aduerte autem hæc tria Genera sæpe misceri: quare spectandus est Orationis finis. Si enim ex. gr. laudat, vt suadeat, spectabit ad Genus Deliberatiuum; si vituperat, vt accuset, ad Iudiciale.



Me-

Methodus cuiusque Orationis texendæ.

CAPVT VLTIMVM.

PRimò in ſeligenda Propoſitione, vires tuas conſules, & videbis *quid ferre recuſent, quid valeant humeri*; nec tam noua quæres, quàm Perſonis, rebus, loco, ac tempori conſentanea. Si propoſitio pluribus partibus conſtet, diſtinctam Partitionem adijcies.

Secundò conſiderabis, in quo Genere ſit Oratio. In Demonſtratiuo non valde tibi laborandum erit de inueniendis Argumentis, at potiùs de redigendis in certum ordinem factis, vt monui cap. 19. In alijs Generibus excogitandæ erunt rationes, ſeu Argumenta, quibus ſingulæ Propoſitionis partes probentur, percurrendo Locos, primò intrinſecos, hinc etiam extrinſecos. His inuentis quandam velut Orationis Ichnographiam hac fermè ratione deſcribes.

PROPOSITIO.

Danda eſt opera ſtudijs literarum.

PARTITIO.

Quia ſunt Honeſtæ, Vtiles, Delectabiles.

CONFIRMATIO.

Honeſta. Semper enim ſunt cum glo-

gloriæ coniunctæ, hominemque reddunt illustrem.

Vtiles: nam componendis æquè moribus, ac expoliendis ingenijs prosunt; viam ad summos honores aperiunt, valent in Consilijs, in Tribunalibus, in Reip. administratione, in Religionis integritate tuenda &c. Id confirmari à contrario poterit, ostendendo, vbi literarum lumen defecerit, omnia cæca nocte inuolui, nullum iam esse animorum cultum, non curam æquitatis, non studium virtutum, diuinarumque pariter, & humanarum legum iura turpi obliuione deleri &c.

Delectabiles: optimam quippe recreant hominis partem dulcissima vitæ præsidia: in solitarijs etiam recessibus nobiscum versantur; fidæ comites, nullisque mobiles casibus, vt ornant in prosperis, ita solantur in aduersis.

Tertiò paranda erit rerum Sylua ad Argumentationes ornandas, ac roborandas: quanuis Gallus (a) sentiat aliquando colligendam priùs Syluam esse; tum ex ea Propositionem seligendam. Ad eorum itaque opera confugies, qui vel de rebus ijsdem, vel de varia eruditione tum sacra, tum profana scripsere. Hinc excerpes, quæ ad rem tuam videris aptiora; Sententias, Adagia,

a *Rhet. lib.* 2. *cap.* 34.

gia, Apophtegmata; Symbola, Similitudines, Historias, Fabulas. Hæc in exornandis,& amplificandis Argumentationibus, vt quæque magis opportuna erunt, suo loco distribues.

Quartò in tractandis Argumentationibus obseruabis, quæ diximus cap. 14. Prudentis vero iudicij erit videre, quæ magis Figuræ sententiarum, quæ schemata verborum cuique Argumentationi vestiendæ, vique maiori explicandæ conueniant, & quinam mouendi sint affectus.

Quintò tandem singulas Orationis partes aggredieris; omnibusque iam perspectis, tum statues, vnde sumas Exordium; quam tibi ad Narrationem, si adhibenda sit, siue ad Confirmationem, viam sternas; quibus Orationis nexibus ab vna Argumentatione gradum facias ad aliam; qua Peroratione vtaris.

Sed antequam stylo manum admoueas, proderit egregij alicuius Authoris Orationem prælegere, non solùm ad imitandum artificium, sed etiam ad elocutionis dignitatem excitandam. Neque ex iis esse te velim, qui calamum potiùs exercent, quàm ingenium; immò & ingenium iudicio reges, huiusq; consilio decernes, quid, qua ratione dicendum. Tum scripta reuocabis ad

exa-

examen: superbi enim, aut inconsulti, est animi, optima credere quæcunque statim effundat: cùm nostra nos fallant, in primo impetu scribendi multa excidant incautis, plura fugiant, plurima, dum nascuntur, placeant, quæ postmodum accuratiùs inspecta, nisi præposterus nostri amor blandiatur, seuerè damnamus. Scribes igitur quàm diligentissimè, & scripta reddes incudi; præsertim si ea scribas, quæ non solum audienda sint, sed etiam edantur legenda. Nam quanuis Fabius eandem esse dicat bene dicendi, & bene scribendi rationem, (a) nemo negauerit ea, quæ dicuntur, plurimùm Oratoris actione commendari, cuius gratia destituitur scripta, & muta Oratio: aurium præterea, quæ in transitu iudicant, non tam acutam esse censuram, exactius oculorum cum mora iudicium. Adde pronuntiatam Orationem à multis quidem audiri posse; paginis commissam ab omnibus legi: tum latè sparsam, ac ituram in posteros, vbique patere, ac perpetuò superesse legentium sententijs obnoxiam.

At siue tibi, siue multis, siue omnibus scribas, nihil sine diligentia sine emendatione perficies. Expedita, fluensque sine vlla litura scriptio boni scribæ


laus

a *Quintil. lib.* 12. *c.* 10.

laus est, non ita boni scriptoris, qui sæpe stylum vertit, atque adhibet limam. Et quanuis noxia sit operi superstitiosa cunctatio, perniciosior est festina temeritas.

Summa hæc est rei. Citò scribendo non fit, vt bene scribatur; bene scribendo fit, vt citò. (a)

De postremis duabus Rhetoricæ partibus ne me consulas. Memoriam gratulari tibi possum, vel optare, non dare. Pronuntiationem (nisi repugnent naturæ vitia, quæ arte corrigi non possint) obseruatione, atque exercitatione perficies. Quæ ad vtranque attinent quære ab Authore ad Herennium lib. 3. Artificia memoriæ vide apud Quintilianum lib. 11. cap. 2. apud eundem multa de Pronuntiatione inuenies, eodem lib. cap. 3. plura apud Ludouicum Granatensem lib. 6. Ecclesiastitæ Rhetoricæ, de qua scripsit absolutissimum opus, dignissimum lectu, & sacris maximè Oratoribus accommodatum.



DE

a *Idem lib. 10. cap. 3.*

Quid sit Elogium, & quæ illius materia.

CAPVT PRIMVM.


LOGII nomen, quod à Græcia manauit in Latium, idem significat, ac honestus sermo, prædicatio, recordatio, testificatio. Varias huius vocis significationes, vsusque diuersos vide in Thesauro Linguæ Latinæ, & in Epigraphica Boldonij lib. 1.

Nihil aliud est *ELOGIVM*,(a) quàm solutum Epigramma, sicut Epigramma strictum numeris Elogium; quod probat ipsa nominis Notatio: nam Epigramma, Græca vox, Latinè Inscriptio est; hinc rem vtranque veteres vtroque nomine vicissim appellarunt.

Definiri potest *ELOGIVM breuis, & arguta Oratio ad rerum notitiam tradendam, memoriamue seruandam, vel ad exornationem scripta*. Dicitur *breuis, & arguta Oratio*; nam pressum, acutumque amat characterem, & à pro-

à *Gallus de epigr. cap.* 1. *Scaliger. de Arte Poetica lib.*1. *cap.*56.

prolixitate abhorret: quare diſtinguitur ab Hiſtoricis Narrationibus, fuſiſq; Orationibus, ac Poematis. *Ad rerum notitiam tradendam, ſeruandamue memoriam*. Is enim præcipuus eſt finis propter quem inuentum fuit Elogium, *vel ad exornationem ſcripta*. Nam interdum non ſolùm ad res edocendas, ſed exornandas, ad laudandum, vel vituperandum adhibetur. Atque ita Definitio complectitur omnia Elogiorum genera, quæ poſtmodum videbimus.

Materia, circa quam verſatur Elogium, eſt res omnis; nihil enim eſt, de quo ſcribi non poſſit. Læta, triſtia, parua, magna, iocoſa, & ſeria Inſcriptionibus argumentum præbent; nec ſolùm rectè factorum commendationes, at etiam exprobrationes flagitiorum.

Materia, in qua ſcribitur Elogium, varia eſt. Nihil verò Elogiaſtæ intereſt, an ſculpatur in marmore, an cudatur in ære, an pingatur in tabulis, an paginis imprimatur. Artificum labor hìc eſto. Quare nihil vltra monendum hìc ſupereſt; niſi fortè (quod quiſque tamen, vel nemine admonente facilè obſeruabit) habendam eſſe rationem ſpatij, in quo contineri debet Elogium, ne menſuram excedat, ſitque vel minu-

tioribus, vel compendiarijs elementis scribendum, vel mutilandum.

Quotuplex sit Elogium.

CAPVT SECVNDVM.

TRiplex Elogiorum est genus; *POETICVM, HISTORICVM, & ORATORIVM.*

ELOGIVM POETICVM, vt ante innui, nihil ab Epigrammate differt, cuius præcepta tradere huius loci non est. Hæc habes in Semita Parnassi Capite 21., & sequ. Huiusmodi Elogio conueniunt omnes Elocutionis Poeticæ festiuitates, & colores. Metaphorarum tamen licentia non insaniat, nec ita turgescat, vt obscuritate laboret; summam enim laudem habet à præspicua breuitate, & acumine.

ELOGIVM HISTORICVM, (quod alij simplicem Inscriptionem vocant) est, quod sinceram continet rerum expositionem; fidemque spectat magis, quàm pompam. Non fucatam itaq; Orationem sequitur, sed emendatam verborum proprietatem; purum est, ac nitidum, nec omnino tamen inelegans. Et claritatem quidem exigit, vt futurum posteris monumentum, verùm cum dignitate coniunctam, graues etiam acutasque

tasque sententias, præsertim in fine; admittit. Huius generis sunt Epigraphæ, seu Inscriptiones, quæ publicis, aut priuatis Ædibus præfiguntur; quæ Columnis, Arcubus, Trophæis, Sepulcris inciduntur.

ELOGIVM MORATORIVM, siue, vt alijs placet, Encomiasticum, seu Exornatiuum, est quod non tantùm in exponendis, sed exornandis, illustrandisque rebus versatur, Elegantiorem Orationis cultum amat; figuratas, translatas, argutasque locutiones; variam Eruditionem, allusiones ad Historias, & Fabulas, sententias, ac Epiphonemata; atque hoc maximè ingeniorum aciem exercet. Huius notæ sunt, quæ in Diuorum, aut Heroum laudem scribuntur; quæ in Principum aduentu, solennibusque spectaculis exponuntur. Plura cuiusq; generis Exempla inferiùs colligentur.

De stylo Elogiastico.



CAPVT TERTIVM.

NON immorabor huc reuocandis Elocutionis virtutibus, quæ non tam Elogio, quàm cuiq; Orationi conueniunt; vt sit emendata, perspicua, & elegans. Absint quidem ab Elogio

verba

verba impropria, barbara, & obſoleta; & quanuis quandoque licuerit ad ſpecimen eruditionis antiquæ, vel ad excitandam admirationem, priſcis verbis integrum Elogium texere, non paſſim tamen offundenda Inſcriptionibus huiuſmodi antiquitatis caligo, quam non magis intelligant recentiores, quàm ſi Euandri Matrem loquentem audirent. Eadem ratione ab ænigmaticis abſtinendum; niſi quandoque ioci gratia ingenioſam aliquam Sphingem proponere libuerit, quæ legentium animos torqueat, ac ſolicitet ad veſtiganda, nec raró in nugis etiam, myſteria.

Stylum conciſum Elogium deſideràt: fuſas ideò, tornataſque periodos reſpuit, gaudet Laconiſmis, iiſque dicendi formis, ac Figuris, quæ conferunt breuitati; cuiuſmodi ſunt Figuræ conſtructionis, quæ fiunt per detractionem. Frequens eſt Zeugma, cùm vnicum Verbum, vel nomen ponitur pluribus clauſulis commune; & Eclipſis, cùm Verbum deſideratur, ſiue aliqua alia dictio prætermittitur, quæ tamen facilè ſubintelligi poſſit. E Figuris verborum vtilis eſt Diſiunctio, ſeu Diſſolutio, quæ coniunctiones tollit. Iuuat vti Participijs, Gerundijs, & Ablatiuis abſolutis, Orationem contrahentibus.

At

At nihil æquè plenissima breuitate præstat, ac Emphasis, & exuberans sensu Metaphora.

Parentheses, quantum fieri possit, excludat Elogium; tum nexus inutiles Orationis, repetitiones, Epitheta inania, Synonima, & quidquid in Elocutione redundat, ac integro sensu, nec læso Elogij decore potest ommitti.

Concisa tamen Elogij breuitas concinnitate non careat, à qua mirum est, quantum illi venustatis accedat, vt sæpe vel hac vna laude commendetur. Hanc afferunt Figuræ harmonicæ, à quibus numerosam fieri Orationem alibi vidimus, vt Similiter cadens, Similiter desinens, & Compar. Exemplo sit Romana Inscriptio in statuam æneam Sixti V.

Sixto V. Pont. Max.
Ob quietem publicam
Compressa sicariorum, exulumq;
licentia
Restitutam,
Annonæ inopiam subleuatam,
Vrbem ædificijs, Vijs, Aquæductibus
illustratam,
S.P.Q.R.

Suppressum hic vides per Eclipsim Verbum *posuit*, *vel erexit*, seu *posuerunt*, *erexerunt*; quod quanuis non explicet inscriptio, Statua docet; vnoq;

E hoc

hoc Verbo omnia membra reguntur. Vides ommiſſas non neceſſarias coniunctiones; Ablatiuo abſoluto, ac Participijs adhibitis plura paucioribus dicta; membra ſimiliter cadentia, & deſinentia. Certè Hiſtorica, & ſimplex Inſcriptio hæc eſt, non Figurarum luxu, non argutijs florens; at graui, dilucida, preſſaque Elocutione, & concinnitate laudem meretur.

Repetitiones, quas ab Elogijs excludendas monui, eas eſſe intellige, quæ rem eandem, vel vocem fruſtra iterant. Cæterùm eas non improbo, quæ vel ad explicandam ſententiam pertinent, vel habent vim aliquam Figuratæ locutionis, vt in ſequenti exemplo.

Mutata ſæpe Reſpublica
Nunquam vidit *mutatum* Catonem.
Alijs ad Cæſarem, *alijs* ad Pompeium
Inclinantibus
Solus pro Patria ſtetit.
Denique oſtendit virum fortem
Poſſe *inuita* fortuna viuere,
Inuita mori. (a)

Ad variandam Elogij Elocutionem, & affectus, quos res ferent, mouendos, ad Patheticas Figuras confugies, quales ſunt Interrogatio, Apoſtrophe, Proſopopœia, Exclamatio, Deprecatio, Imprecatio, quarum vſum in Exem-

a *Sen. Moral. Epiſt.* 104.

Exemplis obſeruabis. De Argutiarum luminibus, quibus illuſtratur Elogium, poſtremò agemus. Ad formandum Elogiaſticum ſtylum frequentanda eorum Scriptorum lectio, qui ſecuti fuere conciſum dicendi genus, & ſententijs diſtinctum. Lege Saluſtium, Lucium Florum, Senecam Moralem. Plinium Iuniorem, Q. Curtium, Latinum Pacatum.

De ratione ſcribendi Elogij.

CAPVT QVARTVM.

PRo Elogio Poetico ſcribendo certæ definiuntur leges à carmine. Hiſtoricum verò, ac Oratorium, quamuis numeris, non vinciantur, non ea tamen plerunque ratione ſcribuntur, qua ſolet Oratio ſoluta; ſed modò breuioribus, modò longioribus verſiculis, neque certa eſt eorum norma. Cauendum quidem, ne aut Elegiæ ſpeciem habeant, aut Heroicæ, ſeu Lyricæ Poeſis; nec ſequeris exemplum, ſi antiquas Inſcriptiones, deteriore ſæculo natas, Rythmum imitantes inueneris, aut carmen proſæ Orationi miſcentes; à quo prorſus abſtinendum; niſi fortè aliquando contigerit breue aliquod hemiſtichium, vt argutè dictum afferre,

aut grauem celebris Poetæ sententiam.

Libuit aliquando Elogiaſtis vario ſchemate ludere, Inſcriptione ita diſpoſita, vt vel Pyramidem ſubiecta baſi, vel Columnam exprimeret. Quandoque ipſa tabula, in qua exaratur Elogium, ſiue hexagona, vel octogona, vel ouata, ſeu ambientibus parergis alibi laxior, alibi anguſtior variam definit verſiculorum menſuram. Sæpè ſcribendi modum ſuggerit inciſorum, membrorumque concinnitas, vt docent præmiſſæ Inſcriptiones. At Elogij diſtribuendi modus denique arbitrio pendet, ac prudenti Authoris iudicio.

De ſepulcrali Elogio.

CAPVT QVINTVM.

SI Elogiorum materia ſpectetur, plurimæ ſunt eorum ſpecies, quæ triplici eo genere continentur, Poetici, Hiſtorici, ac Oratorij. Sed omnium intra ſuum genus eadem ratio eſt. Aliqua tantùm colligam in ſepulcrali peculiaritèr obſeruanda, cuius frequentior vſus eſt, vt nihil morte frequentiùs. Hoc monumento ſolamur noſtrorum iacturam, eorumque nomen,

ac

ac memoriam in seram posteritatem extendimus, quorum vitam producere non licuit vltra fines mortalitati præscriptos.

Diuiditur Elogium Sepulcrale in *CENOTAPHIVM*, & *EPITAPHIVM*. Vtrunque tam carmine, quàm soluta Oratione scribi potest. *CENOTAPHIVM* idem sonat, ac vacuum sepulcrum; non enim inscribitur sepulcrali lapidi, quo tegitur cadauer, sed vel in funebri mole, vel in tumulis honorarijs: nam ad illustrium virorum honorem huiusmodi monumenta excitari consueuere: hinc de Alexandro Seuero Lampridius. *Cenotaphium in Gallia, Romæ sepulcrum amplissimum meruit*. Hoc aliquantò liberius Epitaphio est, maiores Elocutionis ornatus, & argutias admittit, latiùsque fertur in Mortui commendationem; cùm sit potiùs vitæ commemoratio, quàm sepulturæ.

EPITAPHIVM idem significat, ac in sepulcro; est enim inscriptum vero tumulo Elogium ad memoriam Sepulti seruandam. Illius itaque dignitati conuenire debet: eiusdem nomen, & cognomen semel exprimit, ommissis titulis honoris, vt sunt illæ voces *Illustrissimus Dominus*, *Reuerendissimus &c.* insigniora munera, gesta, præci-

puas virtutes, ac laudes, nec eas quidem affectatas, aut quæ hyperbolem sapiant, paucis complectitur: ætatem pariter, ac annum, mensem, diem, quo decessit, explicare solet, nomenq; illius, qui monumentum posuit.

Serium, pressumq; stylum poscit, alienum à fabulis, & iocis; quanuis argutè, dum & grauiter dicta non respuat. Iocari quandoque in Epitaphio licet, cùm festiuioris est argumenti; vt si morionis alicuius, aut brutæ animantis tumulo inscribatur: nec desunt huiusmodi ingeniorum lusus. Cæterùm minimè censeo ludendum cum vmbris.

At quàm dispar est eorum conditio, qui sepulcris clauduntur, tam diuersa ratio sepulcralis Elogij. Aliquando magis dignitatem spectat, quàm dolorem, cùm in memorandis eximij Viri meritis versatur, ad excitandam illius admirationem, ac desiderium. Aliàs ad mouendos miserationis affectus, vel ad amorem, mæroremue testandum variis vtitur Figuris. Nunc per Prosopopœiam Defunctum inducit, vel Deum, vel Superos, aut suos superstites, aut spectatores alloquentem. Modò vtitur Apostrophe ad eundem, modò sermonem ad mortem flectit, nunc ad Lectorem; Exclamationes quandoque, ac Deprecationes immiscet. At in exprimen-

mendis affectibus amoris, & doloris ab intemperantia cauendum, ne in molliores ineptias labatur Elogium.

Omnino breuitas in sepulcralibus Epigraphis requiritur; quam seuerè secutos fuisse antiquos eorum docent monumenta: immò Tullio teste 2. de Legibus Epitaphium quatuor Heroicis versibus Plato definiuit: duplici sanè compendio; minore scilicet impensa sepulcri, & maiore commodo legentium, quos minimum Inscriptio retardaret, nec prolixitas auerteret à legendo. Sed non semper aut ambitio, aut meritum has patitur angustias; nec omnes eadem norma metiendi. Quanuis pauciora sæpe verba prolixum æquant Elogium; & magni quandoque Viri celebre nomen omnem vincit commendationem. Hoc vno insigne fuit sepulcrum Annibalis apud Lybissam, cuius meminit Plinius de Viris Illustribus.

ANNIBAL HIC SITVS EST.

Quid breuius Perusino Epitaphio?

OSSA BARTOLI.

parcos tamen laconismos latiùs explicat fama, & marmore cætera præter nomen tacente, illum bellicæ Virtutis, hunc Iurisprudentiæ gloria prædicat immortalem.

His adde Inscriptiones Energia præ-

ſtantes, quæ diffuſæ laudationis argumentũ paucis inuoluunt, vt celebris illa, quæ Mediolani legitur ad D. Nazarij.

Io. Iacobus Magnus Triuultius,
Antonij Filius,
Qui nunquam quieuit, quieſcit.
Tace.

Talem cecinit ad Pompeij tumulum Adrianus Cæſar.

Oſſa viri Magni tenui quàm clauſa ſepulcro!

Breuiores pariter Epigraphas habent ſepulcra, quæ ſibi viuentes, ac poſteris ponunt. Nemo enim laudum ſuarum buccinator eſſe debet, præſertim nondum abſoluta vitæ fabula, cui bene peractæ plaudere ſuperſtitum erit. Quare ſatis eſt huiuſmodi Elogijs docere legentem, quinam tumulum, & quibus condiderint. Quandoque additur aliqua ſententia, vel ad mores pertinens, vel ad pietatem: ex. gr.

Naſcimur impares, pares morimur.
Mors æquat omnes.
vel.
Fui, non ſum, eſtis, non eritis.
Nemo immortalis.
Aut e ſacris paginis.
Expecto, donec veniat immutatio mea.
vel.
Dum adhuc ordirer, ſuccidit me &c.

Mos

Mos antiquis fuit voces *illas Aue* plerunque in Epitaphij principio, & in fine *Vale* adhibere; Mortuum alloquendo; siue has literas S. T. T. L. hoc est *sit tibi terra leuis*; quasi verò ingens hoc esset vita carentibus leuamen, si minori pondere grauarentur. Nos verò sanctiùs, atque vtiliùs Diuinam exoramus Mortuorum animis clementiam, & quietis æternæ sedem precamur. Illi notas eas Epitaphijs præfigebant. D. M. S. hoc est *dijs manibus sacrum*. Nos D. O. M. idest *Deo Optimo Maximo*. Quid significent alia dictionum compendia, literæque singulares, quæ in Antiquorum Inscriptionibus passim occurrunt, vide in Epigraphica Octauij Boldonij Theanensis Episcopi lib. 3. membro 14., & 15. Is olim in Congregatione nostra floruit politioribus literis, omnique doctrina insignis, vt quæ supersunt opera testantur: at præ cæteris egregium volumen edidit, in quo totam Artem Elogiasticam, & Antiquitatis monumenta eruditissimis commentationibus illustrauit.

FORMVLÆ SEPVLCRALES.

CAPVT SEXTVM.

ANimæ Caiæ Oppiæ Felicis
Matris dulcissimæ
Aulus Niconius,& Sext.Niconius Filij
Eo ordine, quo Natura permiserit,
secuturi.

Matri amantissimæ
Filij deuincti maternis meritis
Dedicauerunt

Patri B.M.(a)
Hoc perenne doloris monumentum
Mœstissimi filij
P.P. (b)

Parenti charissimo
Mæsta liberorum pietas
Ad Mortui memoriam,
luctusque sui solatium
Posuit.

Filio vnico, & delicio suo,
Pater contra votum.
Ante me mors assequetur,
Quàm tristes lacrymæ deserant.

Dul-

a *Benè merenti*. b *Posuerunt*.

Dulcissimo filio.
Mater ad lacrymas relicta.

Hic situs est Ligurnus puer,
Dolor parentum.
Heu mors inuida!

N. Parentum spes vnica
Vixit, si vixit, dies XV.
De vtero propè translatus ad tumulum.
Auete manes infantiles. Valete.

Portia,
Viua gaudium, mortua mariti gemitus
Hic sita est.

Lucretia,
Perpetuus Mariti dolor,
Hic iacet.

Flauia Plautilla septennis
Nil vnquam peccauit,
Nisi, quòd mortua est.

N. literarum gloria clarus
Mortem, quam obijt, elusit,
Pluribus ingenij sui monumentis
Æternùm superstes.

N. merito grauior, quàm senio,
Vitæ laudem inuidenda morte
cumulauit.
Vixit annos LXX.
Naturæ satis; Patriæ parum,
Gloriæ semper.

ELOGIORVM EXEMPLA.

CAPVT VLTIMVM.

POetica Elogia legenti non desunt, si Martialem peruoluas, aliosque Epigrammatum Scriptores. Vnum interim præmitto, cui subdo solutam Inscriptionem, hinc exornatiuum Elogium, triplicis generis Exempla vnico præbens argumento.

POETICVM ELOGIVM.

In fontem calidis aquis manantem, qui ex Academia, Ciceronis villa, post eius obitum, Antistio Vetere possidente, salubris oculis erupit, Laureæ Tullij eiusdem Ciceronis Liberti, Carmen.
Ex Plinio hist. natal. cap. 2.

Quo tua Romanæ vindex clarissime linguæ
Sylua loco, meliùs surgere iussa, viret;
Atque Academiæ celebratam nomine villam
Nunc reparat cultu sub potiore Vetus:
Hic etiam apparent lymphæ non ante repertæ,

Lan-

Languida quæ infuso lumina rore
leuant.
Nimirum locus ipse sui Ciceronis
honori
Hoc dedit; hac fontes cùm patefe-
cit ope.
Vt quoniam totum legitur sine fine
per orbem,
Sint plures, oculis quæ medeantur,
aquæ.

Eiusdem Fontis.

INSCRIPTIO.

Celebrata studiosis Tullij recessibus
Academia
Domini quondam sui
Adhuc seruit ingenio.
Salubres oculis aquas effundens
Ea lecturis proficit,
Quæ dedit legenda.
Nec minùs interest videre, quæ scripsit
Summus Orator,
Quàm præstitit audire, quæ dixit.
Iam promeritus aurium suffragia,
Nunc exigit oculorum officium.
Laurea Tullius Libertus,
Obstrictus Patroni meritis,
Memoriam veneratus
P.

In eundem Fontem.

ELOGIVM.

Præsidem Fontis Nympham
Hìc ne quære Spectator.
Pro loci Genio Suada est,
Quæ indolem suam
In Ciceronis Academiam transfudit
Hæc vt nunquam bonis non affluat,
Post effusũ salutaris Eloquentię flumen,
Medicum fontem largitur:
Pari vtrobique beneficio,
Vt ex eadem vena manasse credas.
Periclitantibus illud capitibus
Salutem attulerat;
Is laborantibus oculis affert.
Eiusdem vtique pietatis est
Lumina tueri, ac lucem.
Tullium scrutaturus
Aciem prius hìc repara.
Argus ille nemini patet luscioso:
Calentes aquas miraris?
Ciceronianæ facũdię torrentẽ imitãtur,
Quæ fluxit semper, friguit nunquam.
Eam si haurientibus indere posset
felix amnis,
Ditior esset Gange, præstantior
Aganippe.
Sitientibus tamen hunc haustum
Egregiè consuluit
Rei Literariæ, ne dum Romanæ,
Sa-

Sapientissimus Consul.
Vberrimos in libris fontes aperuit,
Vnde Posteri Eloquentiam deriuarent.
Huius copiam si quæris,
Nosti quam scatebram adeas.
Surdus es, si Tullij famam non audis,
Cæcus, nisi vides in scriptis ingenium.

INSCRIPTIONES ANTIQVÆ.

Pauca ex Veteribus affero Inscriptionum exempla: harum enim syluas habes apud Gruterum, Suuertium, Schraderum, Boldonium, aliosque studiosos Antiquitatis indagatores. Ab illis priscæ ætatis reliquijs puritatem, & grauitatem Inscriptionum disces, à quibus normam sumpsere optimi Recentiorum. Ab his venustatem disces, floridumque, & argutum dicendi genus pro Elogijs præsertim Exornatiuis, quorum is non fuit apud Antiquos, qui apud nos, vsus.

Inscriptio Marmoris Iuliano positi.

Claudio Iuliano
Victori,
Ac Triumphatori
Semper Aug.
Domino Orbis
Terrarum,
B. (a) R. P. nato.

Alte-

a *Bono Reipublicæ.*

Alterius Marmoris pro Tito Vespasiano.

Imperator Titus Cæsar Vespasianus,
Augustus, Pont.(a) M., Trib.P.V.,
Cos. (b) VIII. P. P., Generis humani
amor est,
Desiderium etiam viuens.

Ædis Concordiæ instauratæ.

S. P. Q. R.
Ædem Concordiæ vetustate collapsam
In meliorem faciem
Opere, & cultu splendidiore
Restituerunt.

Pontis supra Danubium à Traiano excitati.

Prouidentia
Aug.
Verè Pontificis
Virtus Romana
Quid non domet?
Sub iugum ecce
Rapitur & Danubius.

Recentiorum Inscriptiones, & Elogia in marmoribus, & in libris affluunt:
quare

a *Pontifex Maximus, Tribunus plebis quintum.*
b *Consul octauum, Pater Patriæ,*

quare ne alienis frustra paginas impleam, aliqua potius ex proprijs affero, quæ primùm in manus venere scribenti, aliàs fortasse plura collecturus.

INSCRIPTIO
Ædiculæ, transfixæ doloribus
Virgini Sacræ.

Languenti IESV Cruciatibus MARIÆ
Huc affer sinceræ pietatis lenimen.
Matrem solatus demereberis Filium.
Agnoscit illa, is probat,
Vterque exaudit
In tristibus suos:
Neuter vacuum fructu sinit
Supplex obsequium.
Voti compos recedes,
Vbi accesseris particeps doloris.

BIBLIOTHECÆ.

Taciturnæ Sapientiæ domum,
Tanquam Pythagoræ Scholam,
Compressis labris ingredere,
Quisquis non aduenis hospes otiosus.
Gratuitam doctrinam hic tradunt
Literæ liberales;
Quæ tamen, vt expertes vocis,
Non percipi, nisi à silentibus possunt,
Veni, vide, lege,
Sed tace.
Mutum decet versari cum Mortuis.

PHAR-

PHARMACOPOLII.

Sine Medeæ præſtigijs,
Quicunque ſeruandæ, vel inſtaurandæ vitæ ſtudes,
Habes hìc ſoſpitale promptuarium;
Vnde integræ valetudinis præſidia deſumas,
Afflictæ ſubſidia.
Felix, ſi horum ope,
Felicior, ſi ſine vſu valueris.

VILLÆ.

Non vobis aruorum inania Numina,
Sed Tibi, Deus pacis,
Sedem hanc amatæ quietis dicatá volo.
Innocens hilaritas, voluptas honeſta,
Voſque geniales Muſæ,
Vos tantùm contubernales acceſſo.
Fruere hìc tandem te ipſo Anime.
Dudum viuimus alijs.
Adſint tamen, ſi velint, comitantibus Gratijs Amici,
Quos modici lares ferant.
Tetricis, moroſis, dicacibus
Clauſum limen eſto.
Procul hinc tricæ illuſtres:
valete faſtus vrbani.
Humilis hæc Statio curas non capit ingentes.
Malo ruſticam tranquillitatem,
Quàm ſuperbum tumultum.

ZE-

ZETÆ, *vulgò* Alcoua,
in qua picta impendebat lectulo pueri Iesu dormientis effigies, inscripto lemmate. Ego dormio, & cor meum vigilat.

Securos iam somnos cape;
Vbi dormiens vigilat,
Qui non dormitat, cùm custodit.
At non prorsus somniculosum te vult
Magnus Excubitor.
Vide ne dormias in vtranque aurem.
Vigil animus audiat,
Quæ loquitur Amantis cor insomne.
Vt euigiles ad eum, inuigilat tibi.
Perspicacissimum Custodem habes.
Clausis etiam oculis videt.
Semper omnibus vigilat;
Non semper, nec omnibus dormit.

ZETA vox à Plinio iuniore lib. 2. ep. 17. Et à Lampridio in Heliogabalo adhibita, quanuis alij Diatam legi malint. Si quis vocem hanc respuat, magis latina, sed magis communi, cubiculum dices pro zeta.

EPITAPHIA,
ET FVNEBRES INSCRIPTIONES

In æde nostra Ticinensi Assumptæ Virgini sacra.

IACOBVS MENOCHIVS,
Magnum Iustitiæ Oraculum,
In Pedemontana, Patauina,
Ticinensi Cathedra,
Tum Mediolani, cùm Senatorem,
Mox Præsidem, & Regium ageret
Consiliarium,
Deniquc in Orbe vniuerso auditum
Hìc tacet.
Consulenti tamen adhuc responderet,
Si plura, quàm scripsit, dici possent.
Obijt Anno Christiano MDCVII.
Die X. Augusti
Natus Annos LXXV.

Ita legitur integrum in sepulcrali lapide Epitaphium Authore Claudio Achillino inscriptum; quanuis hoc idem multò breuius, valde quippe mutilatum, referatur ab alijs.

N... N...
Integritate, Doctrina, Prudentia
Eos domi, ac foris
Promeritus honores,

Qui

Qui non nisi summæ Virtuti debentur,
Vitam, quam publicæ vtilitati
addixerat,
Communi omnium Ordinum mærore,
Intra sexagesimum annum
absoluit.
Lugente præstantissimi Ciuis
interitum Patria,
Orbatus optimo Parente Filius
N. N.
Mansurum in seram posteritatem
Sui doloris monumentum
P.



N.N.
Generosa secutus maiorum vestigia,
Illustris militiæ tirocinium
A primis annis exorsus,
Per omnes fermè gradus
Ad summa euectus Imperia,
Cùm pares bellis victorias numerasset,
Iam grauis annis, ac rude donatus,
Reuocata iterum ad cassidem
Emerita canitie,
Dum accingitur in hostem,
Arma posuit, & mortalitatis, exuuias:
In postremo etiam conflictu
Eodem interritus animo,
Quo semper in acie.
Fortissimo Viro, dilectissimo Fratri
N.N.

N.

N. N.
Omnibus animi, & corporis dotibus
Ornatissimus Adolescens,
Suorum solamen, Musarum amor,
Cùm annorum, studiorumque
Amœniori vere floreret,
Immatura morte præcisus
Hic iacet,
Filio,
Heu vnico Filio!
Quem sperabant hæredem,
Ante se funeratum acerbo luctu
deflentes
N.N., & N.N.
Mæstissimi P. P.

N. N.
Parem Generis claritati nactus indolē,
Amplissimum gloriæ cursum
breui emensus,
Dubium reliquit,
Acie ne magis ingenij præstaret,
An morum candore.
Intra quintum lustrum
Iam Philosophica Legalique laurea
insignis,
Inclyto Iurisperitorum Collegio
adscriptus,
Vicerat meritis annos;
Ea, quam virtute anteuerterat,
Prolixiori ætate dignus;
Nisi

Nisi ad æternitatem festinasset.
Dum maxima quæque de se pollicetur,
Suis ereptus,
Spes optimas non tam præcidit,
quàm vicit,
Ad ea, quæ omne desiderium superant,
euocatus,
Anno à parta salute &c.

In Templo nostro D. Alexandri.
D.O.M.
GEORGIVS MARIA
TRIVVLTIVS,
Magnæ Gentis titulis,
Suis, Suorumque meritis clarissimus,
Gratiam Principum,
Maximè LEOPOLDI CÆSARIS,
& ELEONORÆ AVGVSTÆ
Assecutus commendatione virtutis,
Ex Clerico Regulari S. Pauli
Azoti Episcopus,
& Strigoniẽsis Ecclesiæ Suffraganeus(a)
Impigrè administrata ea Prouincia,
Pares magnis laboribus ærumnas
Perpessus à Barbaris,
Inaugurato SERENISS.MO IOSEPHO
Pan-

(a) *In Epitaphio vtendum censuimus notiore vocabulo dignitatis. Cæterùm Latinè Auxiliarem Episcopum dici potiùs, quàm Suffraganeum docet Octauius Boldonius in sua Epigraphica lib. 2.*

Pannoniæ Rege,
Cùm solenni Cæremoniæ
pro munere suo interfuisset,
Dum lætus eo publicæ felicitatis
incremento
Patriam reuisit,
Pontificias curas, & mortalitatis
ægritudines clausit;
Atque hìc pro voto
In suæ Congregationis gremio
conquieuit.
Anno Domini MDCLXXXVIII.
ætatis suæ LXII.

Cùm eidem lugubri pompa iusta fierent, circa funebrem molem sequentes Inscriptiones pependere.

I.

Patriæ, Gentis, atque huius Ordinis
decus
Aliena tegi tellure non debueras
GEORGI.
Satis te à nobis Germania,
Satis Pannonia curis ingentibus
distulerant.
Heu frustra expectant rediturum.
Consummato strenuè cursu
Fas fuerat domi requiem habere:
Optimum Ciuem, inclytum Filium
Patria recipit gremio,
Hìc Mater condit in sinu.

II.

II.

Delusa es mors improba.
GEORGII animum habet sperata
Æternitas,
Nos charos cineres habemus.
Ita partiris alijs, dum separas;
Nil tibi reliquum est.
Ne mortuus quidem abest à nobis.
Charitatis vinculum acies tua
non soluit.
Ipso triumphat in funere
Fortior morte dilectio.

III.

Illata à Barbaris damna,
Quæ constantissimè Georgi pertuleras,
Leniuerat ereptum superstitioni
Strigonium,
Reddita Christo, & Cæsari
rebellis Prouincia.
Redimendæ Syriæ Pannonia
spem fecerat.
Hoc vnum erat vitæ solamen,
Vt illuc referres Arcam
sinceræ Pietatis,
Profanum Dagon auferres Azoto.
Dilato euentu terris excessisti,
Vt exaudienda vota proximiùs
Deo narrares.

ELOGIORVM EXEMPLA.

CAPVT VLTIMVM.

POetica Elogia legenti non desunt, si Martialem peruoluas, aliosque Epigrammatum Scriptores. Vnum interim præmitto, cui subdo solutam Inscriptionem, hinc exornatiuum Elogium, triplicis generis Exempla vnico præbens argumento.

POETICVM ELOGIVM.

In fontem calidis aquis manantem, qui ex Academia, Ciceronis villa, post eius obitum, Antistio Vetere possidente, salubris oculis erupit, Laureæ Tullij eiusdem Ciceronis Liberti, Carmen.
Ex Plinio hist. natal. cap. 2.

Quo tua Romanæ vindex clarissime linguæ
Sylua loco, meliùs surgere iussa, viret;
Atquæ Academiæ celebratam nomine villam
Nunc reparat cultu sub potiore Vetus:
Hìc etiam apparent lymphæ non ante repertæ,

Lan-

Languida quæ infuſo lumina rore
leuant.
Nimirum locus ipſe ſui Ciceronis
honori
Hoc dedit; hac fontes cùm patefe-
cit ope.
Vt quoniam totum legitur ſine fine
per orbem,
Sint plures, oculis quæ medeantur,
aquæ.

Eiuſdem Fontis.

INSCRIPTIO.

Celebrata ſtudioſis Tullij receſſibus
Academia
Domini quondam ſui
Adhuc ſeruit ingenio.
Salubres oculis aquas effundens
Ea lecturis proficit,
Quæ dedit legenda.
Nec minùs intereſt videre, quæ ſcripſit
Summus Orator,
Quàm præſtitit audire, quæ dixit.
Iam promeritus aurium ſuffragia,
Nunc exigit oculorum officium.
Laurea Tullius Libertus,
Obſtrictus Patroni meritis,
Memoriam veneratus
P.

In eundem Fontem.

ELOGIVM.

Præſidem Fontis Nympham
Hic ne quære Spectator.
Pro loci Genio Suada eſt,
Quæ indolem ſuam
In Ciceronis Academiam transfudit
Hæc vt nunquam bonis non affluat,
Poſt effuſū ſalutaris Eloquentię flumen,
Medicum fontem largitur:
Pari vtrobique beneficio,
Vt ex eadem vena manaſſe credas.
Periclitantibus illud capitibus
Salutem attulerat;
Is laborantibus oculis affert.
Eiuſdem vtique pietatis eſt
Lumina tueri, ac lucem.
Tullium ſcrutaturus
Aciem prius hic repara.
Argus ille nemini patet luſcioſo.
Calentes aquas miraris?
Ciceronianæ facūdię torrentē imitatur,
Quæ fluxit ſemper, friguit nunquam.
Eam ſi haurientibus indere poſſet
felix amnis,
Ditior eſſet Gange, præſtantior
Aganippe.
Sitientibus tamen hunc hauſtum
Egregiè conſuluit
Rei Literariæ, ne dum Romanæ,

Sa-

Sapientissimus Consul.
Vberrimos in libris fontes aperuit,
Vnde Posteri Eloquentiam deriuarent.
Huius copiam si quæris,
Nosti quam scatebram adeas.
Surdus es, si Tullij famam non audis,
Cæcus, nisi vides in scriptis ingenium.

INSCRIPTIONES ANTIQVÆ.

Pauca ex Veteribus affero Inscriptionum exempla: harum enim syluas habes apud Gruterum, Suuertium, Schraderum, Boldonium, aliosque studiosos Antiquitatis indagatores. Ab illis priscæ ætatis reliquijs puritatem, & grauitatem Inscriptionum disces, à quibus normam sumpsere optimi Recentiorum. Ab his venustatem disces, floridumque, & argutum dicendi genus pro Elogijs præsertim Exornatiuis, quorum is non fuit apud Antiquos, qui apud nos, vsus.

Inscriptio Marmoris Iuliano positi.

Claudio Iuliano
Victori,
Ac Triumphatori
Semper Aug.
Domino Orbis
Terrarum,
B. (a) R. P. nato.

Alte-

a *Bono Reipublicæ.*

Alterius Marmoris pro Tito Vespasiano.

Imperator Titus Cæsar Vespasianus, Augustus, Pont.(a) M., Trib.P.V., Cos. (b) VIII. P. P., Generis humani amor est, Desiderium etiam viuens.

Ædis Concordiæ instauratæ.

S. P. Q. R.
Ædem Concordiæ vetustate collapsam
In meliorem faciem
Opere, & cultu splendidiore
Restituerunt.

Pontis supra Danubium à Traiano excitati.

Prouidentia
Aug.
Verè Pontificis
Virtus Romana
Quid non domet?
Sub iugum ecce
Rapitur & Danubius.

Recentiorum Inscriptiones, & Elogia in marmoribus, & in libris affluunt: quare

a *Pontifex Maximus, Tribunus plebis quintum.*

b *Consul octauum, Pater Patriæ.*

quare ne alienis frustra paginas impleam, aliqua potius ex proprijs affero, quæ primum in manus venere scribenti, aliàs fortasse plura collecturus.

INSCRIPTIO
Ædiculæ, transfixæ doloribus Virgini Sacræ.

Languenti IESV Cruciatibus MARIÆ
Huc affer sinceræ pietatis lenimen.
Matrem solatus demereberis Filium.
Agnoscit illa, is probat,
Vterque exaudit
In tristibus suos:
Neuter vacuum fructu sinit
Supplex obsequium.
Voti compos recedes,
Vbi accesseris particeps doloris.

BIBLIOTHECÆ.

Taciturnæ Sapientiæ domum,
Tanquam Pythagoræ Scholam,
Compressis labris ingredere,
Quisquis non aduenis hospes otiosus.
Gratuitam doctrinam hic tradunt
Literæ liberales;
Quæ tamen, vt expertes vocis,
Non percipi, nisi à silentibus possunt,
Veni, vide, lege,
Sed tace.
Mutum decet versari cum Mortuis.

PHAR-

PHARMACOPOLII.

Sine Medeæ præſtigijs,
Quicunque ſeruandæ, vel inſtaurandæ vitæ ſtudes,
Habes hìc ſoſpitale promptuarium;
Vnde integræ valetudinis præſidia deſumas,
Afflictæ ſubſidia.
Felix, ſi horum ope,
Felicior, ſi ſine vſu valueris.

VILLÆ.

Non vobis aruorum inania Numina,
Sed Tibi, Deus pacis,
Sedem hanc amatæ quietis dicatā volo.
Innocens hilaritas, voluptas honeſta,
Voſque geniales Muſæ,
Vos tantùm contubernales acceſſo.
Fruere hìc tandem te ipſo Anime.
Dudum viuimus alijs.
Adſint tamen, ſi velint, comitantibus Gratijs Amici,
Quos modici lares ferant.
Tetricis, moroſis, dicacibus
Clauſum limen eſto.
Procul hinc tricæ illuſtres:
valete faſtus vrbani.
Humilis hæc Statio curas non capit ingentes.
Malo ruſticam tranquillitatem,
Quàm ſuperbum tumultum.

ZE-

ZETÆ, vulgò Alcoua,
in qua picta impendebat lectulo pueri Iesu dormientis effigies, inscripto lemmate. Ego dormio, & cor meum vigilat.

Securos iam somnos cape;
Vbi dormiens vigilat,
Qui non dormitat, cùm custodit.
At non prorsus somniculosum te vult
Magnus Excubitor.
Vide ne dormias in vtranque aurem.
Vigil animus audiat,
Quæ loquitur Amantis cor insomne.
Vt euigiles ad eum, inuigilat tibi.
Perspicacissimum Custodem habes.
Clausis etiam oculis videt.
Semper omnibus vigilat;
Non semper, nec omnibus dormit.

ZETA vox à Plinio iuniore lib. 2. ep. 17. Et à Lampridio in Heliogabalo adhibita, quanuis alij Diatam legi malint. Si quis vocem hanc respuat, magis latina, sed magis communi, cubiculum dices pro zeta.

EPI-

EPITAPHIA,
ET FVNEBRES INSCRIPTIONES

In æde nostra Ticinensi Assumptæ Virgini sacra.

IACOBVS MENOCHIVS,
Magnum Iustitiæ Oraculum,
In Pedemontana, Patauina,
Ticinensi Cathedra,
Tum Mediolani, cùm Senatorem,
Mox Præsidem, & Regium ageret
Consiliarium,
Denique in Orbe vniuerso auditum
Hìc tacet.
Consulenti tamen adhuc responderet,
Si plura, quàm scripsit, dici possent.
Obijt Anno Christiano MDCVII.
Die X. Augusti
Natus Annos LXXV.

Ita legitur integrum in sepulcrali lapide Epitaphium Authore Claudio Achillino inscriptum; quanuis hoc idem multò breuius, valde quippe mutilatum, referatur ab alijs.

N... N...
Integritate, Doctrina, Prudentia
Eos domi, ac foris
Promeritus honores,

Qui

Qui non nisi summæ Virtuti debentur,
Vitam, quam publicæ vtilitati
addixerat,
Communi omnium Ordinum mærore,
Intra sexagesimum annum
absoluit.
Lugente præstantissimi Ciuis
interitum Patria,
Orbatus optimo Parente Filius
N. N.
Mansurum in seram posteritatem
Sui doloris monumentum
P.



N.N.
Generosa secutus maiorum vestigia,
Illustris militiæ tirocinium
A primis annis exorsus,
Per omnes fermè gradus
Ad summa euectus Imperia,
Cùm páres bellis victorias numerasset,
Iam grauis annis, ac rude donatus,
Reuocata iterum ad cassidem
Emerita canitie,
Dum accingitur in hostem,
Arma posuit, & mortalitatis, exuuias:
In postremo etiam conflictu
Eodem interritus animo,
Quo semper in acie.
Fortissimo Viro, dilectissimo Fratri
N.N.

N.

N. N.
Omnibus animi, & corporis dotibus
Ornatissimus Adolescens,
Suorum solamen, Musarum amor,
Cùm annorum, studiorumque
Amœniori vere floreret,
Immatura morte præcisus
Hic iacet,
Filio,
Heu vnico Filio!
Quem sperabant hæredem.
Ante se funeratum acerbo luctu
deflentes
N.N., & N.N.
Mæstissimi P. P.



N. N.
Parem Generis claritati nactus indolẽ,
Amplissimum gloriæ cursum
breui emensus,
Dubium reliquit,
Acie ne magis ingenij præstaret,
An morum candore.
Intra quintum lustrum
Iam Philosophica Legalique laurea
insignis,
Inclyto Iurisperitorum Collegio
adscriptus,
Vicerat meritis annos;
Ea, quam virtute anteuerterat,
Prolixiori ætate dignus;
Nisi

Nisi ad æternitatem festinasset.
Dum maxima quæque de se pollicetur,
Suis ereptus,
Spes optimas non tam præcidit,
quàm vicit,
Ad ea, quæ omne desiderium superant,
euocatus,
Anno à parta salute &c.

In Templo nostro D. Alexandri.
D.O.M.
GEORGIVS MARIA
TRIVVLTIVS,
Magnæ Gentis titulis,
Suis, Suorumque meritis clarissimus,
Gratiam Principum,
Maximè LEOPOLDI CÆSARIS,
& ELEONORÆ AVGVSTÆ
Assecutus commendatione virtutis,
Ex Clerico Regulari S. Pauli
Azoti Episcopus,
& Strigoniēsis Ecclesiæ Suffraganeus(a)
Impigrè administrata ea Prouincia,
Pares magnis laboribus ærumnas
Perpessus à Barbaris,
Inaugurato SERENISS.MO IOSEPHO
Pan-

(a) *In Epitaphio vtendum censuimus notiore vocabulo dignitatis. Caterùm Latinè Auxiliarem Episcopum dici potiùs, quàm Suffraganeum docet Octauius Boldonius in sua Epigraphica lib. 2.*

Pannoniæ Rege,
Cùm solenni Cæremoniæ
pro munere suo interfuisset,
Dum lætus eo publicæ felicitatis
incremento
Patriam reuisit,
Pontificias curas, & mortalitatis
ægritudines clausit;
Atque hìc pro voto
In suæ Congregationis gremio
conquieuit.
Anno Domini MDCLXXXVIII.
ætatis suæ LXII.

Cùm eidem lugubri pompa iusta fierent, circa funebrem molem sequentes Inscriptiones pependere.

I.

Patriæ, Gentis, atque huius Ordinis
decus
Aliena tegi tellure non debueras
GEORGI.
Satis te à nobis Germania,
Satis Pannonia curis ingentibus
distulerant.
Heu frustra expectant rediturum.
Consummato strenuè cursu
Fas fuerat domi requiem habere.
Optimum Ciuem, inclytum Filium
Patria recipit gremio,
Hìc Mater condit in sinu.

II.

II.

Delusa es mors improba.
GEORGII animum habet sperata
Æternitas,
Nos charos cineres habemus.
Ita partiris alijs, dum separas;
Nil tibi reliquum est.
Ne mortuus quidem abest à nobis.
Charitatis vinculum acies tua
non soluit.
Ipso triumphat in funere
Fortior morte dilectio.

III.

Illata à Barbaris damna,
Quæ constantissimè Georgi pertuleras,
Leniuerat ereptum superstitioni
Strigonium,
Reddita Christo, & Cæsari
rebellis Prouincia.
Redimendæ Syriæ Pannonia
spem fecerat.
Hoc vnum erat vitæ solamen,
Vt illuc referres Arcam
sinceræ Pietatis,
Profanum Dagon auferres Azoto.
Dilato euentu terris excessisti,
Vt exaudienda vota proximiùs
Deo narrares.

IV.

Infelix Azotus,
Quàm densa premeris nocte?
Cumulat funestis vmbris
mors tenebras tuas.
Nondum reddita luce
Non vides egregij Pastoris iacturam.
Dum ille vigil Custos consulit Cœlum.
Deficiente iam Luna,
Gregi suo Solem vicinum sperat.
Sed dum tibi expectat Auroram,
Heu trahitur in Occasum.
Nisi adhuc lugenda cæcitate laborares,
Oculis omnibus hanc tuam
lugeres orbitatem.



In Funere
PRINCIPIS ANTONII
THEODORI TRIVVLTII.

Adeste pallentes Veterum ceræ,
Adeste TRIVVLTIORVM
pullatæ imagines.
Atram omnino pompam exigit
hoc funus.
ANTONIO THEODORO
TRIVVLTIO,
Magnorum Auorum Nepoti Maximo,
Iusta soluuntur:
Hoc est inclytæ Gentis Propago
tota funeratur.

Heu

Heu inuidam mortem!
Ægrè tulit de tanto Stipite
nasci tot Heroes:
Ne vltra sobolesceret, radicitus auulsit.
Similes Maioribus fortes.
Daturum Herculis Filium
vt extingueret,
Infensi Leonis iras accendit.
Parum hoc fuerat,
Nisi Nemæo furori Nessæas
artes miscuisset.
Auitam gloriam strenuè
gestis aucturum,
Vbi vidit instrui ad arma,
Antequam prodiret in aciem,
insidijs inuasit.
Digna suo sanguine meditantem,
Nondum Patrem oppressit;
Ne triumpharet in posteris.
Proh falcem mortis auidissimam!
Quot vno ictu præclarissima
capita messuit!
Adeò non contenta in morituros
furere,
Sæuit etiam in nascituros.
Quicunque Patriæ decora extingui
dolendum putas,
Multiplex hìc habes doloris
argumentum
Quot lacrymas merentur
In Vnius Funere tot Funera!

Poetica Epitaphia Martialis complura dabit. Alcimi lib. 1. Epist. 47. Glauciæ lib. 6. 19. Pantagathi ibidem 33. Latini 9. 19. Philenis ibidem 20. Erotij 10. 54., & 5. 33. Paridis 11. 12. Scorpi 10. 47. Nobilis Matronæ ibidem 56. Canaces 11. 56. Parentum Rabirij 10. 61. grauissimum quoque Cenotaphium de Pompeio, & filijs lib. 5. 103. His adde Lydiæ Canis Epitaphium lib. 11. 45. cui simile Barclaius Aldinæ catellæ cecinit libro. 2. Argenidis.

ELOGIA ORATORIA, SEV EXORNATIVA.

In Tiberium Claudium.

CLAVDIVS
Mente pariter claudus, & pede,
Vt capite, ac manu, ita nutauit
ingenio.
Lingua, sed magis fide, Græcus,
Cùm vocibus Patriam mentiri vellet,
Factis probauit;
Se de Senonum sanguine
Romæ cladibus testatus.
Hominis monstrũ nemo natũ putauit;
Viuum nemo bonus amauit;
Nemo sanus fleuit extinctum.
Pendente sæpius vita
Diutiùs luserat Mathematicos:
Ne vltra falleret, Agrippina prouidit.
Se-

Sexaginta quatuor annis luctatus
cum anima,
Nunquam meritus, vt tandiu
cruciaretur,
Desijt viuere videri.
Quando, ne quæras.
Incohatum à natura, non absolutum,
portentum,
Neque nascendi, neque moriendi
certam habuit horam.
Vtraque lateat,
Dum liqueat Claudium non esse.
Vnum hoc æternùm Roma celebrabit.
Neque periculum est, ne excidat.
Nemo felicitatis suæ obliuiscitur.

Vide Senecam in Apocolocyntosi Claudij: depromptis enim illinc sententijs, & fermè verbis intextum Elogium. De vita moribus, ac morte Claudij consule Suetonium.

IN DOMITIANUM MUSCAS AUCUPANTEM.

Præclarè Cæsar.
Probè calles artem Imperij.
Cùm sit impatiens consortis potestas,
Solitudinem quæris;
Vtque sis affatim solus,
Ne muscam quidem esse pateris tecum.
Secreti participem magnæ mentes
non ferunt.

Lethalis curiositas est tentare
Principis arcana.
Hæc tutiùs vt lateant,
Garrulas cautè submoues cubicularias,
Quæ omnibus insusurrant.
Aut reor assentatrices Aulicas odisti,
Quæ scalpunt aures.
Iustè ferrum stringis in sontes.
Maiestatis reæ sunt,
Quotquot in penetrale Augustum
Facto agmine irrumpunt.
Non ferenda est aperta in Dominum
conspiratio.
Quoties tuis etiam peccant sub oculis?
Quo non damnanda supplicio
temeritas,
Quæ sæpe ausa est adspergere
Cæsari maculam?
Nemo impunè insultat potenti;
Discite alieno periculo dicaces,
Capitale esse mordere Principem.
Gratulor interim tibi Roma
Suauissimum Domitiani Principatum.
Quid ni melleum Cæsarem putem,
In quem auidæ nectaris conuolant aues?
Si vestrum est videre Quirites,
Ne quid detrimenti capiat Respublica,
Cauete, ne tantam dulcedinem
abliguriant.
Certè mellea res imperium est.
O quot solicitat muscas tam dulce
illicium!

Caue

Caue tu Cæsar, ne tuo aliquando
sanguine satientur.
Perge itaque sæuire in hostes.
Vtinam hac tantum cæde mucro
tuus hebescat.
Vereor, ne ista sit in sitibundas cruoris
feras æmulatio,
Ne tu muscas oderis hirudo.
Dij faxint, ne aucupium istud
fiat carnificinæ Tirocinium,
Moxque libeat homines ita mactare,
vt muscas.
Cæterùm digna Domitiano expeditio!
Quantum tibi gloriæ accedet,
Si perdas genus inuisum?
Si re bene gesta,
Vt de Cattis, de Muscis etiã triumphes?
Tum non lauream, sed filicem.
Ioui Capitolino dicabis:
Atque, vt hactenus Germanicus,
Posthac vocaberis
Fama gratiore Muscarius.



DIVI FERDINANDI CASTELLÆ REGIS ELOGIVM.

FERDINANDVS,
Quæ rarò conueniunt,
Cum Adolescentia Maiestatem,
Regnum cum Sanctitate,
Fortitudinem cum Pietate sociauit.

Profusa in Diuinum cultum largitate
Securitatem fortunis inuenit,
Collocato in templis ærario.
Religionis acerrimus assertor
Non cum Deo diuisit, sed coniunxit imperium;
Nusquam regnare Ferdinandum ratus,
Nisi vbi Christus regnaret.
Proscripta è suis finibus Hæresi,
Versis in Barbaros armis,
Eos tantum habuit hostes,
Quos habuit Cœlum infensos.
Prece priùs, quàm ferro prælia exorsus,
Antequam ensem cruentaret in acie,
Districtis in se ipsum flagris
Manum erudijt ad pugnam:
Æquè pius, ac fortis,
Et cùm proprio sanguine placaret exercituum Dominum,
Et cùm illi offerret hostilem.
Fœderatus cum Rege Regum
Quòcunque intulit bella,
retulit palmas.
Mariam veneratus in castris,
In hoc signo se vicisse professus est;
Quouis Ancili, & Palladio
Præstantius in Dauidica Turri præsidium nactus.
Ereptas Barbarico iugo Prouincias,
Profligatis Maurorum vmbris,
Christianæ libertati, lucique restituit.
Traiecturus in Africam
Mon-

Monſtrorum domitor pius Alcides,
Ante illam expeditionem,
tranſijt ad triumphum,
Euocatus ad aſtra.
Satis nimirum ſtipendiorum
iam fecerat;
Totidem promeritus coronas
in Cælitum Regno,
Quot illi reddiderat colonias.



IN INFANTIS IESV LACRYMAS.

Qui miraris lacrymantem Dei Filium,
Eundem intellige filium hominis
Cùm primùm deſcendit in terras,
Vernaculam didicit mortalium
linguam.
Quis ibi vacet à fletu,
Vbi plorat riſus Cœlorum?
Cauſam quæris?
Corruptum opus ſuum deflet
rerum Author,
Mala per nos omnia videns,
Qui *cuncta vidit* olim, *quæ fecerat,*
valde bona.
Sed bene eſt.
Vt vertat in gaudiũ triſtitiam noſtram,
Lacrymas ſuis oculis beat.
Iam beatos quis neget eſſe, qui lugent,

Cùm liquescit ipsa Beatitas in luctum ?
Amantissimus causæ nostræ Patronus
Illam pupilla perorat.
Obmutescere non potest vel infans
Verbum.
Quandiu non suppetunt voces,
Fletibus agit.
Quanuis miro contractum Laconismo
Fluentem pro nobis adhibet
eloquentiam.
Mediator Dei, & Hominum,
Explicata rorantibus oculis Iride,
Signum fœderis instaurat.
Solicitus Redemptor,
Daturus olim sanguine pretium,
Dat statim lacrymis arrham.
Bonus Agricola,
Vt *Aridam* fœcundet,
Geminat fontes, quibus reddat
irriguam.
Emollire interim ingrata hominum
sterilitas.
Ne fias *sicut terra sine aqua*,
Repende lacrymis lacrymas.
Te ne miseret plorantis puelli?
Deterges IESV fletum,
Si absterseris flendi materiem.



In

In pictam imaginem Christi Domini animam in Cruce agentis, supra solium Salomonis erectam, solaribus horologijs ita circunquaque dispositis, vt prominentes è Cruce claui pro stylis essent horas indicantibus.

ELOGIVM.

Authore P. D. Simplicio Gorla.

Proh quàm auidum vitę desiderium est,
Cuius horas vt protrahaat nostra
Gnomonica,
Illo metitur filio,
Per quem fecit sæcula Pater.
Elatus in cathedram Crucis
Magister Christus,
Tanquam in solio Salomon
Nos disertissimè docet de Tempore.
Sanè cum tota huius natura sit labi,
Explicari aliter meliùs,
Quàm ab expirante non poterat.
Nouo titulo Tempus pretiosum est.
Ex ijsdem fontibus exit,
Vnde Redemptoris sanguis
Orbi redimendo profluxit.
Liberalis in cæteris Christus
Solius temporis auarus est,
Quod habuit præfinitum à Patre
Illud ergo ne prodigant homines,
Horatim ipse distribuit.

Facundus Orator vti eſt,
Temporis fugam
Quadrimembri periodo deſcribit,
De qua omnes admonitos volens
Aſtronomico, Babylonico,
Italico, Antiquo,
Omni demum idiomate, & ſtylo
proloquitur.
Hanc vt ſiſtat ſaluti tuæ proſpiciens,
Manibus tenet, clauis figit:
Terebratis vſque pedibus moratur,
Dum te Spectator expectat.
Quoniam tu lentus es,
Ille, vt horas attemperet moris tuis,
Sic iubet progredi pedetentim.
At vel iſtam fiduciam time, ſi ſapis.
In tanta horarum ſerie
Diſcernit Chriſtus ſuam,
Qua tranſeat ad Patrem de mundo,
Subticet tuam,
Qua moriens tranſibis ad Iudicem.

At quandiu exempla? Quaſi horum copiam ætas noſtra deſideret? Cùm præter Veterum monumenta, tot egregia ediderint recentiores. Lege elegantiſſima, & argutiſſima P. Aloyſij Iuglaris, Emmanuelis Theſauri, & aliorum Elogia. Optimorum imitatio, perficiet, quod ſola efficere præcepta non poſſunt.

DE ARGVTIIS INVENIENDIS.

Quid sit, & quotuplex Argutia, & quinam illius fontes.

CAPVT PRIMVM.



Atum ad rerum notitiam, ac posteritatis documentum Elogium, transijt etiam ad voluptatem ingenij, ac delicias legentium, accedente Argutiarum illecebra; quæ adeò plerosque rapit, vt hac vna cuiusque Inscriptionis pretium definiant. Contra seueriores alij, tetrici, Agelasti, quibus nunquam Charites arrisere, tanquam Eloquentiæ corruptelas damnant, & iuueniles ineptias. Ego neutris assentior; vtque puto non sanum illi gustum esse, cui sales desipiunt, ita corruptum æquè palatum arbitror, cui nihil sapere potest, nisi maximè salsum.

Varijs appellantur nominibus Argutiæ; acumina, ioci, festiuitates, lepores, vrbanitates, dicteria, mulsa dicta, veneres, scommata, cauillationes, sales; hoc est (vt loquitur Tullius 2. *de Ora-*

Oratore) omnium sermonum condimenta. Quid ni placeant, & audientes, legentesque oblectent? Nemo tamen totam salibus instruit mensam: quare intelliges, his condiendam esse Orationem, non condendam; neque tantùm de festiuis loquor, at de grauioribus etiam, quas Quintilianus *l. 8. c. 5.* Sententias vocat, lumina Orationis, & velut oculos quosdam Eloquentiæ: neque enim oculi esse toto corpore debent, ne cætera membra officium suum perdant.

Ad rem autem nostram parcius vtetur Argutijs Elogium Historicum, aliquantò liberaliùs Exornatiuum, licentiùs Poeticum. Sed Argutias non voco frigidas ineptias, plebeia dicteria, scurriles nugas; neque facetias, quæ Comicis fortassè conuenient, Elogiastæ licere puto, qui nisi versetur in ludicris, grauitatem maximè debet, Decorum sanè vbique, tueri.

ARGVTIA est breue dictum, aliqua specie nouitatis mirabile. Est inquam *breue dictum*; nam paucis verbis, interdum vnico, instar fulgetri vibratur; *aliqua specie nouitatis mirabile*; nam vel nouum, vel rarum aliquid, seu inexpectatum afferens, excitat admirationem. Atque in hoc genere maior laus ingenij consistere videtur in inue-

nien-

nienda conuenientia rerum, siue etiam verborum, non antea obseruata, vel saltem non ita obseruata. Quòd si ea conuenientia sit inter res magis inuicem distantes, tunc est magis mirabilis, & magis si inter contrarias; tunc enim est magis noua; quod inferiùs in exemplis à Metaphora obseruandum proponam.

Duplex Argutiarum est genus. Aliæ seriæ sunt, aliæ iocosæ. Serias voco graues, & moratas, qualis ea est Senecæ de Constantia Sapientis. *Genus vltionis est eripere ei, qui fecit, contumelia voluptatem*.

Eiusdem Senecæ de Clementia lib. 1. *Tam omnibus ignoscere crudelitas est, quàm nulli*.

Martialis lib. 10. Epigr. 22. de M. Antonio.

Ampliat ætatis spatium sibi vir bonus: Hoc est
Viuere, bis vita posse priore frui.

bis, primò rectè viuendo, secundo grata recordatione bene actæ vitæ.

Iocosas voco quotquot enititur festiuiùs ludens ingenium, quę plus amœnitatis habent, quàm ponderis. Talis ea fuit Ciceronis; qui cùm Pansam, & Hircium arte Oratoria institueret, ab iisdem ad lautiorem cœnam vocatus *Hircium, inquit, & Pansam habeo di-*

cendi

cendi discipulos, cænandi magistros.

Festiuè iocatus est Nero in furacem seruum: *Nulli apud se plus fidei haberi* dicens: *nihil ei occlusum, neque obsignatum esse;* nulla quippe tam cauta rerum custodia, quæ versuto latrunculo non pateret.

Lepidè lusit in candelabrum ligneum Martialis *lib.* 14. 38.

Esse vides lignum: serues nisi lumina, fiet
De candelabro magna lucerna tibi.

Iocosæ Argutiæ in plures diuiduntur species; vrbanas, venustas, salsas &c., quas vide, si placet, apud Fabium de Risu: parui enim momenti est ad rem nostram harum distinctio. Neque semper vel purè seriæ sunt, vel iocosæ, at sæpe misto vtroque genere iocoseriæ fiunt, vt nescias, plus ne grauitatis habeant, an festiuitatis.

Argutiarum vsum etiam apud Antiquos floruisse, nemo est adeò leuitèr literis imbutus, qui nesciat. Quis enim ignorat (vt alios taceam) festiuissimum Plautum, acutissimum Martialem, & ipsum Principem Oratorum? Quem salibus indulsisse vtique docent arguté dicta, quibus Orationes inspersit, & quæ Plutarchus, Macrobius, alijque collegere. Idem tamen, & cum eo Quintilianus aut nullam, aut vix vllam esse

Argu-

Argutiarum artem sentire videntur; quòd si qua nunc circunfertur, nemo putet prorsùs nouam hanc esse, ac priscis ignotam, quanuis recentiores euocarint in lucem: nam ijdem Eloquentiæ magistri (a) Græcos, Latinosque citant, qui de hac olim scripsere, tum ipsi aliquas tradunt obseruationes ad inuentionem, vsumque Argutiarum. Verùm in his denique vibrandis plus naturæ tribuunt, quàm arti; sentientes nimirum non certam præscribi posse ijs acuminibus doctrinam, quæ sæpiùs erumpunt impetu ingenij, & faciliùs nascuntur, quàm fiant.

Vt aliquam tamen argutè dicendi rationem Rhetoricæ Alumnis ostendam, quos in ea præcipuos duces habui, eosdem sequar, Tullium, & Fabium; nec in adytis Philosophiæ quæram Argutiarum mysteria, sed ab ipsis Eloquentiæ Præludijs earum fontes deducam. Quosnam tandem? Tropos, Figuras, & omnes Argumentorum Locos; ex his enim (quod aliàs attigi) vis, & copia, & ornatus, omnisque supellex Orationis emanat.

Ex his igitur præcipua seligam capita, Elogiorum Argutijs opportuniora, pluribus ommissis, quæ potiùs ad

fa-

a *Cic. 2. de Oratore, Quintil. lib. 6. c. 3. de Risu.*

ſamiliares iocos, & faceta colloquia pertinent; neque ſingula explicando, ne iam dicta, & nota repetam, ſed exemplis illuſtrando; haud quidem ignarus multò plures inquiri poſſe Argutiarum fontes. *At ſi ſpecies omnes perſequi velimus, nec modum reperiemus, & fruſtra laborabimus*. (a) Immò cùm omnia, quæ hac de re acutiſſimè tractantur, perlegeris, denique cum Ariſtotele. (*Lib.*30.*Rhet.c.*10.) ſenties, poſſe argutè dicere aut ingenioſi eſſe, aut exercitati; quorum alterum naturæ, alterum vſui debetur.

FONTES ARGVTIARVM Exemplis illuſtrati.

T R O P I.

CAPVT SECVNDVM.

M*ETAPHORA* eò magis arguta fiet, quo magis recedet ab vſu vulgari, pluſque acuminis, ac nouitatis habebit. Argutam Metaphoram torſit Cornificius Poeta in timidos milites, qui feruente inter Auguſtum, & Antonium bello, quoties conferendæ manus eſſent, ſalutem pedibus quærebant; quare illos *galeatos lepores* appellauit.

Ad

a *Idem ibidem*.

Ad notandam eorum timiditatem satisfuiſſet *lepores* nuncupare ; ſed illud Epithetum nouam, & mirabilem Metaphoram facit; nam præter morem armatos inducit militari caſſide lepuſculos. Acutè luſit Conſtantinus in Traianum, quem ob inſcriptum paſſim publicis ædificijs nomen, *herbam parietariam* vocare conſueuit. Vide quàm diſparata ſint nomen Traiani, & herba parietaria: vt non ſtatim cuique pateat, in quo conueniant; in hoc videlicet, quòd frequentiſſimè inhæreant parieti; quanuis hæc ſponte nata, illud arte inciſum. Idem in pleriſque Argutijs obſeruabis quarum vis in diſcordi concordia ſita eſt, quæ aliquo nexu remotiſſima colligit, vnitque diſcrepantia. Quare ingenij celeritate, ac ſagacitate præſtare debet Argutiarum indagator, vt vno velut impetu plura diſtantia percurrat, ſimulque illorum naturam, proprietates, relationes, oppoſitiones, ſimilitudines, ac diſſimilitudines deprehendat. Hinc meritò ab Italis dicuntur Argutiæ *Rifleſſi*; has enim promptiùs inueniunt, quibus velox eſt mentis acies ad plura ſimul reſpicienda.

ALLEGORIA ſimplicem alioqui Propoſitionem facilè reddit argutam. Si de Magdalena reſipiſciente dicas:

Anteacta vita crimina deplorat: vulgare dictum erit, & expers acuminis. Idem si allegoricè vertas, emicabit Argutia. Ex. gr. *Lumina, quibus ignes accenderat, liquat in fontes. Meliore iam flamma calet, quæ pristina mergit incendia. Illinc imbres elicit, vnde vibrauerat faces.*

METONYMIA ponit argutè signa pro rebus signatis, causas pro effectis &c. Cic. pro M. Marcello. *Gladium vagina vacuum in vrbe non vidimus. Quos amisimus ciues, eos Martis vis perculit, non ira victoria.* Idem in Pisonem. *Obrepsisti ad honores errore hominum, commendatione fumosarum imagines, quarum simile habes nihil, præter colorem.* D. Ambrosius de Eleazaro, qui cæsi elephanti mole pressus occubuit. *Cuius ruina inclusus magis, quàm oppressus, suo est sepultus triumpho.* i. materia, & causa triumphi.

ANTONOMASIA. Ex. gr. in dicacem. *Dentes acuit mordacissimus Theon. Nigrum venenum euomuit furens Lycambes.* In præstantem virum ab optimo institutore formatum. *Et belli, & pacis artibus claruit Chironi suo non impar Achilles.* Martial. ad Flaccum *lib. 8. ep. 56.* *Sint Mecænates non deerunt Flacce Marones. Mecænates*, hoc est Principes Viri Poetarum aman-

amantes : *Marones*, scilicet egregij Poetæ.

SYNECDOCHE. Dictum Sullæ de Iulio Cæsare adhuc adolescentulo. *Cæsari multos Marios inesse*. .i. Marij ferocem animum, sed qui grauiora, quàm ille in Remp. moliretur. Seuerus pedibus æger, atque ideo à militibus despectus, cùm in seditionis authores animaduerti iuberet, hique veniam precarentur: *Tandem sentitis* (inquit) *caput imperare non pedes*: hoc est virum mente valentem, licet pedibus infirmum. *Spartianus in Seuero*.

HYPERBOLE. Festiuè Tiberius Apionem gloriosum Grammaticum *Cymbalum mundi* nuncupauit; quasi verò per omnes terrarum fines magni nominis tinnitu personaret. Ausonius in Faustulum pumilionem. *Ep*. 115.

Faustulus insidens formica, vt magno Elephanto
Decidit, & terra terga supina dedit.
Moxq; idem ad mortem est multatus calcibus eius;
Perditus vt posset vix retinere animam.
Vix tamen est fatus: quid rides improbe liuor?
Quòd cecidi? cecidit non aliter Phaeton.

Mar-

Martialis ad Domitianum de illius Palatina domo. *Lib.8. Epigr.36.*

Hæc Auguste, tamen, quæ vertice sidera pulsat,
Par domus est cælo, sed minor est domino.

CATACHRESIS. Furnius Cæsari Augusto gratias agens, cùm Patri Antonianas partes secuto veniam impetrasset. *Hanc vnam* (ait) *Cæsar habeo iniuriam tuam: effecisti vt viuerem, & morerer ingratus.* Iniuriam appellat maximum beneficium, cujus magnitudo effecerat, vt cùm gratiam referre non posset, videri cogeretur ingratus. Seneca de Consolatione ad Heluiam luxum Romanorum carpens, *Vltra Phasim*, inquit, *capi volunt, quod ambitiosam popinam instruat.* Ambitiosam popinam, idest lautitijs refertam, ac dominorum non tàm gulæ, quàm ambitioni seruientem. Diogenes Dionysiaca certamina, quæ in Bacchi honorem Athenienses profusiore sumptu, sed alioquin ridicula celebrabant, acutè appellauit *magna stultorum miracula*: ita specioso nomine abusus, vt illi pompa insigni abutebantur ad ineptias.

IRONIA. Seneca in Apocolocyntosi defuncto iam Claudio satyricam Næniam canens.

De-

Deflete virum, quo non alius
Potuit citius dicere causas,
Vna tantum parte audita,
Sæpe & neutra.

Martialis de incensa Theodori domo. *Lib. 11. Epigr. 58.*

Pierios Vatis Theodori flamma penates
Abstulit. Hoc musis, hoc tibi Phœbe placet?
O scelus, o magnum facinus, crimenq; deorum;
Non arsit pariter quòd domus, & dominus.

vbi vides triplici schemate, hoc est Ironia, inexpectata illius solutione, & Alliteratione auctam Argutiam.

FIGVRÆ.

CAPVT TERTIVM.

ANNOMINATIO, seu Alliteratio ex. gr. *Aurora dum diem parit, perit; dum oritur moritur. Delige, quem diligas. Arte pariter, ac Marte certandum.*

Afer Manlium quendam nimiùm in perorando discursantem *non agere* dixit, *sed satagere.* Pollio scriptis ab Augustus lacessitus. *Ego,* inquit, *taceo: non enim facile est in eum scribere, qui po-*

potest proscribere. Demosthenes dicturus in Harpalum, ab eodem pecunia corruptus simulauit anginam. Hinc vibratum in eum scomma. *Non angina, sed argentangina correptum fuisse Oratorem.*

Quid sit de Annominatione sentiendum alibi dixi. Leuis quidem Argutia, quæ solis nititur verborum iocis, nisi rerum, ac sententiarum pondus accedat; nec frequentiùs adhibenda, præterquam in huiusmodi argumentis, quæ à nugis non abhorreant.

ÆQVIVOCVM, seu Ambiguum Annominationi succedat. Æquiuocum Verbum est, quod sensus diuersos habens ancipiti significatione vsurpatur. Vim autem verbi in aliud, atque cæteri accipiant, posse ducere, ex Tullio, ingeniosi esse videtur; quanuis ambigua non adeò Quintiliano probentur, non quòd omnino excludenda putet, sed quia raro bellè respondeant, nisi cùm prorsus rebus ipsis addiuuantur. Hinc sanè plurimæ scatent Argutiæ; neque contemnendæ, si adsit in his non tam eliciendis, quam eligendis, ingenio iudicium. Salso Æquiuoco Martialis Epigramma 40. *lib.*1. condiuit in Attalum, se rebus agendis occupatissimum ostentantem.

Sem-

Semper agis causas, & res agis Attale semper.
Est, non est, quod agas, Attale semper agis.
Si res, & causæ desunt, agis Attale mulas.
Attale, ne quid agas desit, agas animam.

Toties repetitum verbum *ago* multiplicem sensum habet. *Agere causas* est perorare, dicere, agitare lites: *res agere*, facere, tractare negotia: *agere mulas*, ducere dossuaria illa iumenta, *animam agere*, mori. Sic itaque Martialis Attalum primò Causidicum, & negotiosum hominem, subinde mulionem ostendit; otij demum vitandi gratia ad extremum adigit vitæ discrimen.

Cicero Vatinium, quòd strumosum guttur haberet, ambiguo Epitheto ludens *tumidum dixit Oratorem*. Idem in Verrem *ius Verrinum* æquiuoco notat; nequam videlicet, vt iusculum suillum. Acutum fuit æquiuocum in Matricidam Neronem Romæ vulgatum.

Quis neget Ænea natum de stirpe Neronem?
Sustulit hic Matrem, sustulit ille Patrem.

SVSTENTATIO. Martialis ad Lupercum. *Lib. 6. Ep. 32.*

Quod conuiuaris sine me tam sæpe Luperce,
Inueni, noceam qua ratione tibi.
Irascar, licet vsque voces, mittasque, rogesque.
Quid facies? inquis. Quid faciam? veniam.

Huc ea pertinent, quæ consistunt in *decipiendis expectationibus*, vt Cicero, & Fabius loquuntur; cùm scilicet vel aliqua conditione addita, vel postrema parte Orationis sensum antecedentem in contrarium vertimus, vel immutamus, aut aliquid subdimus inexpectatum. Ex. gr. in Alexandrum. *Verè magnus, si magnitudini suæ temperasset*, in Vitellium. *Cæsarum omnium præstantissimus helluo.*

D. Hieronymus in Ruffinum. *Tantam habes Græci, Latinique sermonis peritiam, vt Græci te Latinum, & Latini te Græcum putent.*

Cic. pro Ligario ad Cæsarem.

Qui nihil soles obliuisci, nisi iniurias, idem Fabiæ Dolabellæ triginta se annos habere dictitanti: *Verum est*, inquit, *nam hoc iam viginti annis audio*, ita simulata primò Concessione acutiorem vibrat Argutiam, & dum subdita ratione confirmare videtur fœminæ dictum, arguit quinquagenariam.

Mar-

Martialis in Epitaphio Philænis. *Lib*. 9. *Ep*. 20.

Sit tibi terra leuis, mollique tegaris arena;
Ne tua non possint eruere ossa canes.

ANTITHESIS, seu Contrapositi exempla quære inferiùs in Loco ab Oppositis.

PARADOXVM, cùm sit dictum mirabile præter vulgi opinionem ex se proinde argutum est. Huius notæ illa sunt. (a) *Nihil infelicius eo, cui nihil vnquam contigit aduersi. Melius est otiosum esse, quàm nihil agere. Tam deest auaro quod habet, quàm quod non habet*.

Paradoxi speciem refert Epitaphium, quod Similis, Prætorianorum Præfectus sub Adriano Sepulcro suo iussit inscribi. *Ex Dione Cassio. In Adriano*.

Similis hic iacet,
Cuius ætas quidem multorum annorum fuit,
Septem tamen duntaxat annis Vixit.

nam totidem solùm in priuata quiete sibi vixerat.

EMPHASIS, seu sententia sensu exuberans. Martialis de Regulo, quem transeuntem ruens porticus non læserat. *Lib*. 1. *Ep*. 43.

 Quis

a *Sen. lib. de Prouid. c.* 3.

Quis curam neget esse te Deorum,
Propter quem fuit innocens ruina?

idem in Epitaphio Scorpi. *L.10. Ep.47.*

Inuida quem Lachesis raptum trieteride nona,
Dum numerat palmas, credidit esse senem.

Huic addi potest *Noema*, Latinè (vt Carbo interpretatur). (a) Cogitatio, quæ intelligendum relinquit, quod non dicit; siue, vt apud Tullium, & Fabium, suspicionem habet latentis acuminis. Vt cùm Hortensius dicebat, *Se nunquam cum Matre, aut Sorore in gratiam rediisse*; quibus verbis intelligendum reliquit, se nunquam cum illis habuisse dissidium. Acutè Martialis in Maronem. *Lib. 11. Ep. 43.*

Nihil mihi das viuus: dicis post fata daturum.
Si non es stultus, scis Maro, quid cupiam.

hoc est, si sapis, intelliges optabile mihi esse, vt ocyùs moriaris, & soluas promissa.

SENTENTIÆ, ET EPIPHONEMATA non aptiùs aliunde, quàm è præsenti materia colliguntur: quare tuum erit hæc ex opportunitate deducere.

Quid quòd ab insulsis quoque sales eruun-

a *Carbo de Elocutione lib. 1. disp. 23.*

cruuntur? Huiusmodi sunt quæ Tullius, & Fabius *SVBABSVRDA* vocant, quæ speciem habent ineptiæ, sed latens acumen inuoluunt. Cicero cùm Generum suum Lentulum statura breuiorem prælongo ense videret accinctum; *quis* (inquit) *alligauit Generum meum gladio?* Præpostere quidem dictum; sed salsè absurdum, ad notandam enormitatem gladij, & breuitatem accincti. Afer in frigidum Oratorem, sed nitidiori veste spectandum. *Homo est* (ait) *in agendis Causis optimè vestitus*. Quid quæso vesti cùm Caussis? At hoc idem prima fronte absurdum duplici ferit aculeo; nam & hominis leuitatem petit, & Oratoris ineptiam, qui veste potiùs præstaret, quàm arte.

His annecte *IMPOSSIBILIA*, seu quæ fieri non possunt. Apud Ausonium Echo ad Pictorem.

Vane quid affectas faciem mihi ponere pictor,
Ignotamque oculis solicitare Deam?
&c.
Auribus in vestris habito penetrabilis Echo:
Et si vis similem pingere, pinge sonum.

Quandoque argutè optamus, vt fieri possint, quæ minimè possunt.

Martialis de imagine M. Antonij. *Lib.* 10. *Epist.* 29.

Ars vtinam mores, animumque effingere posset.
Pulchrior in terris nulla tabella foret.

Tandem plurimùm seruiunt Argutijs Figuræ harmonicæ, quæ quanuis per se argutæ non sint, elegantissima tamen sunt acuminum instrumenta, & sæpe in Elogijs maximè Historicis venustate sua supplent Argutias. Sunt autem hæ Figuræ, vt aliàs docui, Similiter cadens, similiter desinens, & Compar; quibus Distributionem adde, quas non rarò collectas inuenies.

Latinus Pacatus oris dignitatem in Theodosio commendans. *Virtus tua meruit imperium; sed addidit forma suffragium. Illa præstitit, vt oporteret te Principem fieri; hæc vt deceret:* idem infrà. *Necesse erit, me vel tacentem publica incommoda, vel loquentem, aut ingratum virtuti, aut onerosum esse pietati.*

Martialis de Domitiano. *Lib.* 9. *Epist.* 80.

Templa Deis, mores populis dedit, otia ferro,
Astra suis, cælo sidera, serta Ioui.

LOCI INTRINSECI.

CAPVT QVARTVM.

A *DEFINITIONE*. Non Logica Definitio, quæ proprijs verbis explicat solam rei naturam, sed quæ translatis constat, vel continet Antithefes arguta est. Martialis eleganter definit Sirenes *Hilarem nauigantium pœnam, blandasque mortes, gaudiumque crudele*. Diogenes amorem *otiosorum negotium* vocat. Tiberius, cùm successorem Imperij Caligulam aleret; *educare se* dixit *Natricem Populo Romano, & Phaetontem orbi terrarum*. *Natrix* serpentis genus est.

A NOTATIONE. Dictum de Seuero Pertinaci, quòd immitis animi esset. *Imperator verè nominis sui: verè Pertinax, verè Seuerus*.

Ouidius ad Maximum. *De Ponto lib. 1. eleg. 2.*

Maxime, qui tanti mensuram nominis imples.

idem ad Charum. *Ibidem lib. 4. eleg. 13.*

Oh mihi non dubios inter memorande sodales,
Qui, quodes, id verè, Chare, vocaris, aue.

A CONIVGATIS. D. Hieronymus ad

ad Paulum Concordiensem D. Pauli Eremitæ vitam scribens. *Misimus te tibi; idest Paulo seni Paulum seniorem.*

Martialis in Zoilum. *Lib. 11. ep. 57.*

Mentitur, qui te vitiosum Zoile dicit.

Non vitiosus homo es Zoile, sed vitium.

auget Argutiam Inopinatum; per fictam enim Correctionem sententiam repentè in deterius vertit.

Cic. in Oratore ad Brutum. *Itaque efficis, vt cùm gratiæ causa nil facias, omnia tamen sint grata, quæ facis.*

A SIMILI. Vt quidquam mirabile Similitudo habeat, vel eruditione nitatur, vel ad rem longiùs deriuetur. Eruditè Demades Atheniensis Orator Macedonicum exercitum, Alexandro sublato, *Cyclopi excæcato* comparauit; magnum scilicet corpus, sed lumine cassum. Acutè in ipsum Demadem cauillatus est Antipater; nam cùm ille insignis decoctor omnia, præter artem dicendi, perdidisset; *Demadi*, ait, *vt cæsis victimis, nihil superfuisse, præter linguam, & ventrem.* Pressius acumen habent Similitudines implicitæ, vt si de Nerone se ipsum iugulante dicas: *Hoc fato interire debuerat cruenta hirudo; vt sanguinem, quem auidissimè biberat vi-*

viuens, moriens euomeret. De Hærode Infantes trucidante. *Quid ni ſæuiret Lupus in Agnos?* De Sene Poeta. *Suauiora carmina modulatur canus Olor*, ita Cicero poſtremam Craſſi Orationem *Cygneam* vocat lib. 3 de Oratore.

A DISSIMILI. Martialis ad Cæſarem. *Lib. 5. ep. 58.*

Pro meritis Cælum tantis Auguſte dederunt
Alcidæ citò Dij; ſed tibi ſerò dabunt.

Diſſimilitudinem in Similitudine inuenit Auſonius de Statua Rufi.

Rhetoris hæc Rufi ſtatua eſt: nil verius ipſa.
Ipſa adeò linguam non habet, & cerebrum.
Et riget, & ſurda eſt, & non videt: omnia Rufi.
Diſſimile hoc vnum; mollior ille fuit.


A LOCO TOTIVS, & PARTIVM. Cicero cum Q. Fratris puſillæ ſtaturæ hominis imaginem vidiſſet, ingentibus lineamentis pectore tenus pictam. *Frater meus dimidius maior eſt* (ait), *quàm totus*. Cynicè Diogenes Myndios luſit; qui cùm paruum Oppidum incolerent, amplas, & magnificas portas extruxerant. *Claudite portas*, inquit, *ne Ciuitas veſtra egrediatur*.

Martialis in variè se tondentem. *Lib. 8. ep. 45.*

Pars maxillarum tonsa est tibì, pars tibi rasa est,
Pars vulsa est. Vnum quis putet esse caput?

A CAVSIS. Ex hoc loco desumuntur Argutiæ non tam veras rerum causàs, quàm ingenio excogitatas, & præter opinionem afferendo. Interroganti Physico Diogenem, quam ob causam aurum palleret. *Quoniam* inquit *plurimos habet sibi insidiantes*, quasi timor insidiarum esset causa efficiens palloris in auro.

Plinius de Vxore,& Sorore Traiani. *Ideo vtraque mores eosdem, quia vtraq; mores tuos habet. Inde moderatio, inde etiam perpetua securitas; neque enim periclitabuntur esse priuatæ, quæ non desierunt*, & infra. *Hoc magis dignæ sunt, quæ in animis nostris, & sint, & habeantur Augustæ, quia non vocantur*; huius enim summæ appellationis honorem modestè recusauerant.



A

A CAVSA MATERIALI, ET FORMALI.

In Simulacrum Christi Domini è Cruce pendentis ex lapide magnete.

O simillimam vero effigiem!
Mysticus lapis
Non tam arte magneticus est,
quàm pietate.
Exaltatus à terra omnia traxit
ad se ipsum.
Ferri amantior Petra,
Post clauos, & lanceam,
Habes duriora corda, quæ trahas.
Quicunque velificaris in Patriam,
Ne fluctues incertus,
Tutissimum hunc indicem consule.
Idem Cynosura est, & magnes.

In Diuæ M. Magdalenæ effigiem ex Electro.

Magdala, quæ squallens lacrymarum
fuderat imbres,
Heliadum lacrymis gemmea
plorat adhuc.

Plura vide apud Marinum in Pinacotheca inter Sculpturas.

In marmoreum Veritatis signum.

Diua tenax veri, cùm sis pulcherrima,
cur te
Pannosam effinxit frigidus iste lapis?

Nempe licet longè placeas, laudaris, & alges;
Et capiti, facta es saxea, saxa timens.

A CAVSA FINALI frequentiores, & faciliores Argutiæ hauriuntur. Ex. gr. de Fortuna *Attollit, vt deprimat; profusiùs blanditur, vt grauiùs noceat.* Seneca de C. Caligula. (a) *Quem mihi videtur rerum natura edidisse, vt ostenderet, quid summa vitia in summa fortuna possent.*

Ouidius de Ponto *lib. 1. eleg. 2.* ad Maximum, qui genus ducebat à Fabijs.

Qui nasci vt posses, quamuis cecidere trecenti,
Non omnes Fabios abstulit vna dies.

Idem de Augusti clementia: *Qui vincit semper, victis vt parcere possit.* Argutè causis adscribimus nouos, aut repugnantes effectus, Ex. gr. *Sæpius animum opulentia depauperat. In te vnum constanter pugna: pacem parit hoc bellum. Vitiorum illecebras declinare tutius est, quàm expugnare; securiorem dat fuga victoriam.*

Claudianus de Phœnice.

Parturiente rogo curis natura laborat;
Æternam ne perdat auem.
O felix, hæresq; tui: quo soluimur omnes,
Hoc tibi suppeditat vires: præbetur origo
Per cinerem.

AB

a *De Consolat. ad Heluiam.*

AB ADIVNCTIS. Fœcundissima seges Argutiarum hinc nascitur, si vel inuicem, vel cum suis Subiectis comparentur, spectata eorum conuenientia, vel repugnantia. Martialis Pannicum pungit dissentientibus Corporis, & Animi Adiunctis.

Lib. 2. Epigr. 29.

Nunc tibi crura pilis, & sunt tibi pectora setis
Horrida; sed mens est Pannice vulsa tibi.

AB ADIVNCTO TEMPORIS in Curionem ab ętatis excusatione semper exordientem Cicero lusit, eum dicens *quotidie facilius habere Proœmium*. Idem de breui Caninij Consulatu, quem paucis tantùm horis gesserat, ad Curium scribens ita iocatur. *Epist. fam. lib. 7. Ep. 30. Caninio Consule scito neminem prandisse. Nihil tamen eo Consule mali factum est: fuit enim mirifica vigilantia, qui suo toto Consulatu somnum non viderit.*

Martialis in commendationem Neruæ. *Lib. 12. Ep. 6.*

Sub Principe duro
Temporibusque malis ausus es esse bonus.

imperante quippe Domitiano tempora fuerant bonis inquiora.

AB

AB ADIVNCTO LOCI. De puero Iesu in Præsepio iacente.

Similem factum iumentis insipientibus hominem
Vt requirat factus homo Deus,
Descendit in stabulum:
Vtque ad se propiùs inuitet,
Recubat in Præsepio.
Redi aliquando ad meliorem frugem auidum genus.
Hic triticum inuenies, dum curris ad paleas.

AB ADIVNCTIO MODI. De Diuo Raymundo, qui scisso mortuæ matris latere in lucem eductus, vnde Nonnatus audijt, hinc sacræ familiæ de Mercede redemptionis captiuorum adscriptus mira sanctitate floruit.

Raymundus Nonnatus
Auspicatus à prodigijs vitam
Non terris natum se ostendit, sed cælo.
Gratia obstetrice
Ante vincere didicit naturæ leges, quàm viuere.
Primo lucis haustu mortem intuitus
Nihil vltra mortale in oculis habuit.
Impatientiam materni claustri ne mireris.
Ad redimendam properat captiuitatem.
Non tam corporum, quàm animorum,
Procurandæ libertati natus;
Primũ hoc Genitrici beneficiũ impendit,
Quam

Quam solutam ergastulo mortalitatis
Præmittit in Patriam.
Nuntiabit illa Cælestis Hierosolymæ
Ciuibus,
Surrexisse de latere,
Qui filios de longè reducat.

AB ANTECEDENTIBVS, ET CONSEQVENTIBVS. Martialis de Diaulo Medico. *Lib. 1. epist. 87.*

Nuper erat medicus, nunc est vespillo
Diaulus.
Quod vespillo facit, fecerat, &
medicus.

Ausonius de vetula Veneri speculum dicante.

At mihi nullus in hoc vsus; quia
cernere talem,
Qualis sum nolo; qualis eram,
nequeo.

Augustus, cum Vrbem magnificentiùs ornasset, gloriari solebat. *Romam lateritiam accepi, marmoream reddo.*

AB OPPOSITIS. Quantumuis ab omnibus alijs Locis educantur Argutiæ, sæpius acumen ab Antithetis mutuantur, cùm scilicet constare videntur Oppositis, siue hæc sint Contraria, siue Relatiua, seu Priuatiua, siue Contradicentia.

A CONTRARIIS. D. Petrus Chrisologus Serm. 1. de duobus filijs, prodigo, & frugi. *Est penes Patrem dulcis*

conditio, libera seruitus, absoluta custodia, timor lætus, blanda vltio, paupertas diues, secura possessio.

Martialis in varios mores habentem. *Lib. 12. Epist. 40.*

Difficilis, facilis, iucundus, acerbus es idem.
Nec possum tecum viuere, nec sine te.

Ouidius *l. XI. Metam.* de Mida, qui assecutus à Baccho, vt quæque tangeret verterentur in aurum, infelicissimam hanc felicitatem serò damnauit, cùm esuriens, & sitiens, dapes, & potum vidit in metallum rigere.

Attonitus nouitate mali, diuesque, miserque
Effugere optat opes, & quæ modò vouerat odit.

A RELATIVIS. Dictum de Caligula. *Nec seruum meliorem vllum, nec deteriorem Dominum fuisse*: nam in priuata vita mitis, & obsequentissimus Tiberio imperanti fuit, postmodum in imperio truculentus, & sæuus. Plinius in Panegirico Traiani. *Plerique Principes, cùm essent Ciuium Domini, libertorum erant serui*. Ibidem eundem Traianum alloquens. *Ita egisti tribunum, vt esse statim dux posses; nihilque discendum haberes tempore docendi.*

Ouidius de Liuia Augusti vxore,

Esse

Esse pudicarum te Vestam Liuia matrum;
Ambiguum est nato dignior, an ne viro.

Martialis in Ponticum præ nimia in alios obseruantia minùs amico fauentem. *Lib.* 2. *Ep.* 27.

Non bene crede mihi seruo seruitur amico.
Sit liber, Dominus qui volet esse meus.

A PRIVATIVIS. D. Hieronymus Didymum Alexandrinum, quanuis captum oculis, doctrina præstantem, *Cæcum videntem* appellauit, quippe ingenij luce tenebras vicerat cæcitatis. Ita Sanctorum obitum *Mortem vitalem* dices, *& immortalitatis exordium*: eosdem *mortuos viuentes*, qui licet vita functi, dum beata æternitate fruuntur, inuocantibus adsunt.

A CONTRADICENTIBVS. Ex. gr. *Obest, dum prodest, liberalitas illiberalis, quæ lucrum beneficijs quærit.* De bombyce. *Iam vermis, nunc ales; nec ales, nec vermis, idem, & alter, neuter est, vterque est*. Cato apud Ciceronem. (a) Scipionem dicere solitum refert, *se nunquam minùs otiosum esse, quàm cùm otiosus esset, nec minùs solum, quàm cùm solus esset*.

A REPVGNANTIBVS. Plinius de Traia-

a *Lib.* 3. *Officiorum*.

Traiani modeltia. *Cui nihil ad augendum fastigium superest, hic vno modo crescere potest, si se ipse submittat.* Latinus Pacatus de Theodosio. *Cùm vicinum habeant permissa fastidium, numquam iste mirantis explet oculos: magis, magisque visus expetitur, & (nouum dictu) præsens desideratur.* Seneca de Alexandro Magno. *Epist.*91. *intelligere debebat falsum se gerere cognomen. Quis enim esse magnus in pusillo potest?* In hoc scilicet exiguo terrarum ambitu.

Martial. *Lib.*5. *Epigr.*40.

Extra fortunam est quidquid donatur amicis.
Quas dederis, solas semper habebis opes.

A COMPARATIONE maiorum, minorum, vel parium. Senec. *Epist.* 89. in splendidè gulosos. *Infelices etiam, quòd non intelligitis vos maiorem famem habere, quàm ventrem.* Idem in Apocolocyntosi. *Prius inter Philosophos, quàm inter horologia conueniet.*

Ouidius de Tristibus.

Cùmque sit exilium, magis est mihi culpa, dolori;
Estque pati pœnam, quàm meruisse minus.

Plinius Traiani sororem commendans. *Vt si quis eam vxori tuæ confe-*

rat,

rat; dubitare cogatur, vtrum sit efficacius ad rectè viuendum bene institui, aut feliciter nasci. Et paulò inferiùs. *Idem vtrique propositum, idem tenor vitæ, nihilque ex quo sentias duas esse.* Martialis in Maximum. *Lib. 2. Ep. 15.*

Capto tuam, pudet heu, sed capto Maxime cœnam.
Tu captas aliam: iam sumus ergo pares.

Quandoque etiam eundem sibi ipsi comparamus. Ex. gr. de Cæsare. *Nunquam se ipso minor æquè stylo præstitit, ac ense.* Aut. *Se ipso fortior, cùm potestatem in hostes victoria fecisset, uti clementia maluit, quàm vindicta.*

LOCI EXTRINSECI.

CAPVT QVINTVM.

ERuditæ à Locis extrinsecis emanant Argutiæ; sumuntur enim ab Historijs, Fabulis, Sententijs, seu dictis Veterum, & Adagijs.

ALLVSIONES AD HISTORIAS.

Sen. *Epist.* 122. in eos, qui crapulis, & somno, diei, noctisq; officia præuertunt. *Sunt quidam in eadem vrbe Antipodes, qui, (ut M. Cato ait) nec Orientem vnquam solem viderunt, nec Occidentem.* Martialis de Pumilione. *Lib.* 14. 181.

Si

Si solum spectes hominis caput, Hectora credas;
Si stantem videas Astianacta putes.

Hectora ingentem Virum, *Astianacta* puellum.

Idem festiuissimè de Plotia vetula. *Lib.* 10. *epig.* 58.

Pyrrhæ filia, Nestoris nouerca,
Quam vidit Niobe puella canam;
Laertes auiam senex vocauit,
Nutricem Priamus, socrum Thiestes.

ALLVSIONES AD FABVLAS.

Cicero in Diuinatione contra Verrem. *Sed repente è vestigio ex homine, tamquam aliquo Circeo poculo, factus est Verres*, ambiguum nomen *Verres*; nam & C. Verrem significat. Prætorem Siciliæ, in quem agit Cicero, & suem: notissima verò est Fabula Circes, quæ venenatis potionibus homines in bruta vertebat.

Leonida in Menestratum pictorem ineptum. *Ex Anthologia Græc. lib.* 2.

Deucalion à te, Phaetonque Menestrate pictus,
Quonam sit pretio dignus vterque rogas.
Munere nos vtrunque suo dignabimur: ipsis
Est alter flammis dignus, & alter aquis.

Deucalion scilicet diluuio, Phaeton incendio.

Ad

Ad Fabulam ſimul, & Hiſtoriam alluſit aculeatum Romanorum dictum in Cæſarem Auguſtum, qui premente Vrbem annonæ penuria intempeſtiuam Cœnam immodico ſumptu inſtruxerat in ſpeciem Apollinis ornatus, diſcumbentibus Deorum, ac Dearum habitu conuiuis. Poſtridie acclamatum eſt. *Frumentum omne Deos comediſſe, & Cæſarem eſſe planè Apollinem, ſed Tortorem.* (a) Dij, Deæque Fabulæ inanes; at ſine Fabula mentitæ Deos conuiuæ, tantum vnica cœna abſumpſerant, quantum pluribus alendis Ciuibus ſuffeciſſet. Subeſt inſuper æquiuocum in *Apolline Tortore*; nam, & hoc nomine Apollo quidam Marſyam excorians intelligitur, quem Romani colebant, & carpitur inhumanus Auguſtus, quaſi Ciuium Tortor.

ARGVTE' VSVRPATA VETERVM DICTA. Adrianus Cæſar in Ælium Verum, quem ſucceſſorem adoptauerat, non longæuum eum fore præſagiens Virgilianum carmen deflexit, quo Anchiſes breuem Marcelli, Octauiæ filij, vitam Æneæ prædixit.

Oſtendent terris hunc tantum fata, nec vltra
Eſſe ſinent. Lib. 6. Æneid.

Quò verò in remotiorem ſenſum,

aptè

a *Suetonius in Auguſto.*

aptè tamen ad rem nostram, aliorum dicta deducimus, eò ingeniosior est Argutia. Cùm Eminentissimus Federicus Vicecomes, tum recens Mediolani Archiepiscopus, primùm celebri pompa exciperetur, & Eustorgianam Basilicam iniret (hæc olim Basilica Regum dicta, trium videlicet Magorum Sepulcro insignis) vt illinc solemnem de more Cæremoniam auspicaretur, inter cætera Symbola, & Epigraphas, quæ templum ornabant, pictus fuit Anguis (gentilitius idem Præsulis typus) tumulum ambiens, & in proximam dilabens aram, addito Virgiliano Carmine. *Amplexus placidè tumulum, lapsusque per aras*: *ex lib. V. Æneid.*, vbi Sacra faciente ad Paternum Sepulcrum Ænea *Exijt adytis lubricus anguis ab imis &c.*

In lentum Debitorem, segnemque soluendo, facetus Creditor Ennianum Fabij Cunctatoris encomium vertit. *Cunctando restituit rem*.

In garrulum, & maximè gracilem. *Vox tantum, atque ossa supersunt*. Ex Ouid. 3. *Metam.* de Echo.

In Virum nugacem. *Tibi inconsumpta iuuenta, Tu puer æternus*. Ex eodem *lib.* 4. *Metam.* De Baccho.

ARGVTIÆ EX ADAGIIS. Cùm Laberius Mimus à Cæsare PP. adscriptus

tus in Senatu sedem propè Tullium quæreret: *reciperem te* (is inquit) *nisi anguste sederemus*; ita & Laberium excludens, & Cæsarem notans, qui amplissimum Ordinem minùs dignis impleuerat. Sed acerrimè retorsit aculeum Mimus. *Demiror*, ait, *si sedes anguste*, *qui soleas duabus sedere sellis*. Æquiuocum subest; nam *duabus sedere sellis*, si proprium spectes verborum sensum, nihil aliud est, quàm duo subsellia occupare; acriori tamen significatione vsurpatum Adagium, in eos dici solitum, qui dubiæ sunt fidei; qualis fuisse Cicero dicitur, diuersarum partium sectator, qui modò Pompeio, modò Cæsari adhæreret.

In bibacem lusus à Paroemijs.

In combibonum Senatu nemo est hoc iuniori Cicerone facundior, quem *fœcundi Calices fecere disertum*. *Omnium horarum homo* amphoram habet pro clepsydra; neque timendum est, ne illi *hæreat aqua*. Græcam Philosophiam *doliari vita* professus nunquam tamen Democrito subscripsit, qui veritatem detrusit in puteum. Gratior illi est *in vino veritas*. Hanc sibi vult liquidò constare, atque vt sinceriùs hauriat, in mero quærit, scelus ideo putat *iugulare Phalernum*. Ægrè stantem quid rides? entheus nutat. Iam si alloqui libeat, iura-

iurabis audire te responsa *de tripode*. Vide quantùm acie valeat! Perspicacissimus *tria è duobus videt*. Oculatior Pentheo, *& Solem geminum, & duplices Thebas*, vel noctu cernit. Minimè quidem curiosus potator non quærit Consules in lagenis. Satis sibi consultum putat, si prospicit celeritate bibendi, ne quid *inter calicem cadat, supremaque labra*. In lucubranda ebrietate sæpissime pernoctans, nunquam tamen absumpsit *plus olei, quàm vini*. Frequentiùs redeuntem ad pocula ne arguas. Se bibisse non meminit: didicit quippè obliuiosum esse debere vrbanum conuiuam. *Quis enim non odit memorem compotorem?* Quantùm sapit hic Bacchi alumnus! Melius vtique sapiet, si pro vino *bibat helleborum*.

Collige interim ex allatis hactenus exemplis, Argutias, quæ à Parœmijs, aliorumue sententijs dicuntur, plerunque ab æquiuoco, vel diuersa ab Authoris mente significatione acumen habere. Si Veterum Adagia nosse cupis, peruolue, quod circunfertur, expuncto Authoris, seu Collectoris nomine, plenissimum opus, Græca, & Latina complectens, Pauli Mannuccij studio emendatum; in quo eruditè illorum origo, significatio, & vsus explicatur.

AR-

ARGVMENTATIONES ARGVTÆ.

CAPVT VLTIMVM.

SVperſunt vltimò Argutiæ, quæ Argumentationem inuoluunt; atque ideo arguta Enthymemata vocantur; quanuis apparentia ſint, non vera Argumenta; nam fallacia magis, quàm ratione nituntur, nec tam verum inferunt, quàm pulchrum, ad veri ſpeciem ingenioſè confictum; quare acuta Sophiſmata dici poſſunt. At huiuſmodi Argumentationes ex iiſdem denique fontibus deſumuntur, à quibus reliquæ Argutiæ dimanant.

Martialis de Cæſaris Leone ſæpius apprehenſum lepuſculum dimittente. *Lib.* 1. *ep.* 13.

Vnde poteſt auidus captæ leo parcere prædæ?
Sed tamen eſſe tuus dicitur; ergo poteſt.

Ibi vtique perſpicis non veram cauſam afferri, quæ mittem Leonem effecerit, ſed blandiente Cæſari Martialis ingenio eductam; quaſi tanta eſſet Domini clementia, vt inſolitam pietatem feræ quoque inſinuare potuiſſet. Idem in Epitaphio Canaces, quæ os morbo

exedente eptennis obierat. *Lib.* 11. *Ep.* 56.

Sed mors vocis iter properauit claudere blandæ,
Ne posset duras flectere voce Deas.

hìc pariter vides causam finalem non veram adduci, sed acutè inuentam; veluti tanta fuisset puellæ gratia, vocisque suauitas, vt mors timeret, ne integro illius organo Parcas emolliret.

Cæsar adhuc prætextatus aculeato Dilemmate Lectorem punxit, verba ita legendo modulantem, vt canere videretur. *Si cantas, ait, malè cantas, si legis, cantas.* Argumento à minori ad maius Seneca lusit in vetulam Statiliam, (a) quæ inscribi sepulcro suo iussit, se nonaginta nouem annis vixisse. *Vides, inquit, aniculam gloriari senectute longa? quis illam ferre potuisset, si contigisset centesimum implere?* Ausonius de marmoreo Lucij monumento, quod ætas vitiauerat, corruptis nominis characteribus, Epigramma concludit Enthymemate à maiori ad minus.

Miremur periisse homines? monumenta fatiscunt.
Mors etiam saxis, nominibusque venit.

minùs

a *Sen. Epist.* 77. *Plin. hist. nat. l.* 7. *c.* 48.

minùs ergo mirandum est luteos homines mori, si moriuntur & marmora. *Mors saxis venit* dictum per Metaphoram, seu Catachresim, hoc est saxa quoque à temporis edacitate conteruntur.

Plura de inueniendis Argutijs hìc habes; At non satis erit inuenire, nisi rectè noueris explicare inuentas; nam vis maior acuminis à modo iaciendi pendet, cùm vna ratione vibratum feriat, altera frigeat. Variat maximè Argutiæ modum Figuræ varietas: nunc enim effertur per Interrogationem, nunc per Dubitationem, aliàs per Exclamationem; vel admirando, vel optando, vel miserando, aut comminando, aut imperando: modò per affirmationem, modò per negationem, aut vtranque vicissim; quorum omnium vsum imitatio, & exercitatio docebit.

Sed iam diu moramur in salibus. Et plura quidem scribenti occurrere, quàm compendio complecti statueram, vt in his fortasse nimius videri possim. At neque inutilem fore hanc operam, puto Elogia, & Epigrammata scribentibus profuturam. Tum etiam ostendere placuit, non esse Rhetori peregrinandum, vt Argutias inueniat; cùm tam multos habeat ab Arte sua illarum

fontes, qui largiùs fluent, si multiplex adsit eruditio. Cæterùm memineris præcipuos acuminum artifices esse ingenium, & vsum, optimam moderatricem prudentiam.

De Argutijs præter Ciceronem, & Quintilianum, aliosque antiquiores Latinos, & Græcos, e recentioribus Italis doctissimè scripsere Matthæus Peregrinus, & Emmanuel Thesaurus, cuius argutissimum opus per manus omnium circunfertur inscriptum, *IL CANOCCHIALE ARISTOTELICO*. Dabit vberior illorum eruditio, quæ in hac ieiuna tractatiuncula desiderabis.



DE SYMBOLIS HEROICIS, SEV IMPRESIIS.

INter illuſtriores ingenij fœtus, quibus enituit recentior ætas, Heroica Symbola excellunt. Et quanuis ab ipſis rerum primordijs ducta quædam horum lineamenta repetantur, ab elapſo tantùm proximè Seculo cœperunt apud Italos arte florere, ac magis eſſe in pretio: cùm præſtantes armis Viri erudito etiam Marte contenderent, & mente pariter laudem quærentes, ac manu, vt enſe fortia gerere, ita inſignito argutis Symbolis clypeo generoſi animi conſilia oſtentare gauderent. Hinc indito nomine vocantur à Noſtratibus *Impreſe*; tametſi & ad alios iam vſus, ad peculiarium virtutum commendationem, aut inſectationem vitiorum, varioſque hominum affectus exprimendos adhibentur. Eadem & Phrenoſchemata Græco vocabulo, ideſt mentis imagines, Heroica Symbola, Figurata Epigrammata, & vt malunt complures, Impreſiæ, verſa in Latinam Italica voce, appellantur; vt inde nomen habeant, vnde leges habuere. Nihil intereſt quo nomine voces, dum rem calleas ſignificatam per nomen.

Verùm in hac Arte Symbolica trac-

randa ita Scriptores dissentiunt, vt multiplex opinionum diuersitas & copia præceptionum labyrintheis plerunque ambagibus implicet Ariadneo filo egentes. Aliqui acutissimis disputationibus rem istam agunt, & pugnacibus calamis digladiantes plura dissidia serunt, quàm præcepta. Nonnulli antiquiora sequentes, quæ nondum vltima studia limauerant, nihil sibi non licere sentiunt, cuius exemplum inuenerint. Alij solam spectantes rei naturam, de qua etiam non leuia sunt inter Authores litigia, perfectiones non curant. Alij contra erecti ad apicem, Heroicum Symbolum aut perfectissimum volunt, aut nullum; tot verò, tamque seueras leges illi præscribunt, vt faciliùs Phœnicem inueneris, quàm vnum numeris omnibus absolutum. Ego tamen iam ab initio professus me non Artium fastigia spectare, sed prima signare vestigia sensim ad altiora progressuris, non hos deducam per Quæstionum anfractus, non summa, nec ima sequar; at e plurium Scriptorum placitis, præsertim Iouij, Bargalij, ac Aresij, clariora, & magis accepta secernam, quibus ad hæc Symbola condenda vti possint, qui primam illis admouent manum.

In afferendis autem exemplis non per-

perfectissima à me proponi profiteor, quorum copia non suppetit, sed singulis præceptis, & obseruationibus explicandis accommodata, quanuis aliqua ex parte deficiant.

Cæterùm si quis absolutissimas horum Ideas, quæ (vt de Oratore suo Tullius ait) animo teneri possunt, non oculis cerni, vt voto conceperit, ita re fuerit aliquando feliciter assecutus, næ ille mirandum erit mortalibus ingenijs exemplum.

Quid significet Symbolum, & quid sit.

CAPVT PRIMVM.


Ymbolum idem est, ac nota, & indicium alicuius rei; quare signis omnibus conuenit hoc nomen. Definitur à Græcis, *id quo aliquid coniectari, & cognoscere possumus*. Quandoque significat tesseram militarem, aliàs hospitalem; aliàs signum, quod æpistolæ, arcæ, vasi, & cæteris huius generis imprimitur, aliquando collectam à pluribus pecuniam ad epulas, & conuiuia celebranda; quæ Symbola, Collatio, & Collecta etiam

vocatur. Hoc loco Symbolum eſt ſignum, aliquid occultum ingenioſis intelligendum proponens.

Antiquiſſimam eſſe Symbolorum originem teſtantur Ægyptiorum myſticæ notæ, quibus diuinæ, humanæq; Sapientiæ arcana inuoluere ſolebant, ne imperito, profanoque vulgo paterent, ideo Hieroglyphica, ſacras videlicet literas appellabant; quorum myſteria luculentiſſimis Commentarijs Pierius Valerianus enucleauit. Antiquos præterea Bellatores, ac Principes viros Symbola quædam vſurpaſſe Hiſtorici, ac Poetæ docent. Hinc in vexillis Aquilæ, Cerui, Equi, Capri, Minotauri, & in galeis, & ſcutis variæ Ferarum imagines. Sic Amphiaraus pictum in Clypeo Draconem prætulit, Capaneus Hydram, Vlyſſes Delphinem, Agamemnon Leonem, addito Carmine. *Hic pauor eſt hominum, manibus gerit hunc Agamemnon.* Annulorum quoque gemmis huiuſmodi Schemata inſculpta. Ita Sphingem Auguſtus, tum Alexandri Magni effigiem, Seleucus Anchoram, Mecœnas Ranam habuere pro ſignis. Inde nata Inſignia Gentium; hinc varijs notata figuris Numiſmata; hinc Emblemata denique, & præſtantiſſima omnium Heroica Symbola, quæ recentiores ab antiquis

quis inchoata perficientes ad summam laudem euexere.

Quid sit Impresia.

CAPVT SECVNDVM.

LAtissimè sumpta *Impresia est compositum ex Figura, & Lemmate Symbolum, aliquod mentis arcanum significans.* At hæc Definitio perfectam non exprimit Impresiam, nec satis à cæteris Symbolis distinguit. Quare ex meliorum Authorum doctrina sic perfectiùs poterit definiri.

Impresia est insigne Symbolum à Simili, determinatum aliquem animi sensum indicans per Figuram, & Lemma. Dicitur *Symbolum*, quod genus est, per quod Impresia conuenit cum alijs Symbolorum speciebus. *Insigne*; hoc est ingeniosum præ cæteris, & argutum. *A Simili*; nam perfectæ Impresiæ significatio à Similitudine ducitur, quam alia Symbola non exigunt. *Determinatum aliquem animi sensum indicans*; quòd vniuersalia non spectat, vt Emblema; sed singularia hominum consilia. *Per Figuram, & Lemma*; his enim partibus constat; quarum altera deficiente mancum est, atque à sua specie degenerat. Et quanuis Ruscellus, & alij

alij senserint, vel sola Figura, vel solo Lemmate subsistere posse, hanc reijcit opinionem eruditorum consensus. Quales non esse debeant hæ partes inferiùs explicabo.

Impresia itaque nihil aliud est, quàm subiecta oculis Metaphora, seu imperfecta Similitudo; cuius tantùm prima pars, hoc est Protasis exprimitur, partìm per Figuram, partìm per Lemma; pars altera, nempe Apodosis relinquitur, spectatoris ingenio deducenda. Quod vt clariùs pateat, facili exemplo demonstrabo.

Excitanda sit Impresia, qua Sapientis alicuius Viri virtutem commendes, inter aduersa inconcussam. Quære aptam huic firmissimæ Virtuti significandæ Similitudinem, quæ esse poterit. *Sicuti Rupes inter fluctus suo pondere tuta est, ita Sapientis Viri Virtus propria firmitate tuta est inter aduersa*. Hæc est perfecta Similitudo. Deme Apodosim, & sine Similitudinis nota Protasim adhibe, quæ est. *Rupes inter fluctus suo pondere tuta est*. Hæc explicanda erit partìm per Figuram, partìm per Lemma.

Figura est imago rei, à qua ducitur Similitudo. *Rupes igitur inter fluctus illam quatientes* erit Figura pingenda. Lemma explicat eiusdem rei proprieta-

tatem; nempe *Suo pondere tuta est*, hæc eadem verba elegantiùs in hemistichium ita vertes. *Pondere tuta suo*. Idem fermè Ouidius habet 9. Metam.

Haud secus, ac moles, quam magno murmure fluctus
Oppugnant; manet illa, suoque est pondere tuta.

Hercules Tassus, Aresius, & alij docent, non esse necessariam perfectæ Impreßiæ Similitudinem, sed sufficere quanlibet Comparationem, vel Parium, vel Maiorum, vel Minorum; immò à Dissimili etiam, & à Contrario posse desumi. Paucos tamen iam habet sectatores hæc sententia, & recentiorum Academiarum suffragijs reprobatur. Omnes certè consentiunt Similitudine nixas Impreßias esse perfectiores.

De Figura, seu Corpore Impreßia.

CAPVT TERTIVM.

IMpreßiæ Figura, quam & Corpus vocant, à rebus tantum veris petenda est; siue naturalibus, cuiusmodi sunt Montes, Arbores, Flores, Feræ, Volucres, Sidera; vel arte factis, vt sunt Nauis, Turris, Columna, Horologium, Gladius &c. quare commentitia exclu-

duntur, quæ in Emblemate, alijsque Symbolis possunt admitti. Cùm enim Impresia veram Similitudinem requirat, & à veris rerum proprietatibus deductam, nequit falsis inniti. Reijciuntur ideo à Fabulis deprompta, vt Sirenes, Harpyæ, Sphinges: tum ex arbitrio ficta, quæ ita esse non solent; vt alata Testudo, Currus cum carbaso, Cancer Lunam chelis adstringens. Adde quæ Poetica Somatopœia exprimuntur: vt Fama, Victoria, Venti, Flumina humana specie.

Sunt verò incerta nonnulla, quæ vel propiora sunt Fabulis, vel miris proprietatibus celebrata, quarum veritas non constat: vt Phœnix e rogo renascens, Vrsa suos partus lambendo formans, Salamandra in igne viuens. Hæc in Impresijs ferenda potiùs esse, quòd fama fidem inuenerint, Thesaurus sentit, quàm laudanda.

Obscura, & ignota minimè probantur; vt peregrinæ aues, ac plantæ, solis fortasse familiares Indis, at ab auribus, ne dum oculis Orbis nostri adhuc remotæ; vel antiquiores machinæ quædam, quarum vix vlla memoria superfit. Nec admiserim monstrosa, quæ præter ordinem naturæ fiunt. Immò Bargalius ne Historica quidem censet adhibenda, quæ rationem habent

bent singularis exempli; quòd (vt ille ait) nihil singularia probent: at insuper quòd ita exprimi non possunt, vt ab intuentibus cognoscantur. Quis enim Achillis hastam discernat à cæteris, aut Cleopatræ Margaritam, aut annullum Gygis?

Eadem ratione reijciuntur, quæ vel nimia paruitate, vel proxima rerum aliarum speciebus affinitate oculos fallunt: vt minutiora insecta, & herbæ, quibus inspiciendis, ac dispiciendis Microscopio, & Indice sit opus. Plerique Figuras omnes respuunt, quæ coloribus egent: volunt enim Impresiæ Corpora in qualibet materie apparere posse; vt non picta solùm, sed etiam sculpta, vel impressa dignoscantur. Dissentit Aresius; quippe censet non conuenire quidem Symbolis, quæ in ligno ex. gr., marmore, aut metallo cælantur, pendentes à coloribus Figuras; non autem in illis damnandas esse, quæ pinguntur, præsertim si non opere alio in aliam debeant transferri materiam, quæ colores non ferat.

Inter Corpora præferuntur arte factis naturalia. Ex his tamen Humana communiori sententia eximuntur; siue quod nimis nota, siue quòd parùm ingeniosa sit ex his desumpta Similitudo, vt ex eadem specie deriua-

ta, seu quòd Hominis consilia per Hominem explicare sit explicare idem per idem. Aliquæ tantum partes à toto corporæ seiunctæ admittuntur, cùm ad aliquam spectant actionem, & rationem habent instrumenti, non primariæ Figuræ; vt manus, quæ malleum sustinet, acerram, ensem, facem.

Hæc de Impresiæ Corpore tradunt e recentioribus melioris notæ Authores. At neque desunt, qui aliter sentiant; nec fortasse inutile fuerit diuersas aliquorum sententias nosse. Iouius Humanas Figuras præceptis vetat, recipit exemplis. Ruscellus maximè laudat, peregrina tamen specie insignes, non quales quotidie veniunt sub oculos. hinc Historicas, & Fabulosas præfert. Tales Picinellus probat (si quando Humanæ admittendæ sint) sed notiores, vt Herculis, Icari, Atlantis, Iani. Aresius denique ostendit Humanas Figuras adhiberi posse salua Impresiæ natura, quanuis non integra illius perfectione: immò nullas putat excludendas, vel veras, vel fictas, nec alia corpora ab Historijs, & Fabulis deprompta reijcienda, præsertim celebriora, & quæ facilè innotescant, vt Hydram Caducæum, Cornu Amaltheæ, Iouis Aquilam fulmina gestantem &c. Quam sententiam suam rationibus

con-

confirmat, & Symbolis illuſtrium Virorum, & Academiarum. Has autem Scriptorum opiniones huc affero, non quòd liberè his vtendum putem; sed vt ſcias, ſi quando vel tibi, vel aliјs fauere videbuntur, ad quorum authoritatem confugias. Vide Areſium *capite* 8., *&* 9. libri primi, quem de natura, & perfectione Impreſiæ acutiſſimè ſcripſit.

Obſeruanda in eligendis Figuris.

CAPVT QVARTVM.

1. DEcorum ſpectetur, vt Figura ſit Perſonæ, quam repræſentat, dignitati conueniens; quod tanti momenti eſt, vt huius defectus parum abſit ab iniuria; vt ſi pro Symbolo Principis, aut præſtantis Viri, bouem, ſiue Arcadicum pecus adhibeas. At ſordida nunquam, vel turpia, vel quæ prauam interpretationem pati poſſint, vſurpentur.

2. Accommodata ſit Similitudini Figura; quare illa Corpora non probantur, quæ proprietates habent, Impreſiæ ſignificationi repugnantes, aut diſpares, aut diſſimiles; vt Sol nubibus obſcuratus, cum Lemmate *At mihi clarus*. Tum illa, quæ non per Meta-

taphoram significant, sed per Metonymiam, suntque mera signa pro rebus signatis; vt Laurea, & Cupressus, illa victoriæ, hæc mortis nota, cum hemistichio. *Erit altera merces*. Hæc enim Hieroglyphicis aptiora sunt, quàm Impresijs; quanuis hæc eadem ab Hercule Tasso, & Aresio admittantur.

3. Figurarum multiplicitas, quantùm fieri possit, vitetur. Vnicam Thesaurus laudat, cuiusmodi est dimidia Henrici II. Luna cum Lemmate. *Donec totum impleat orbem*. Duas potiùs Aresius commendat, quod in his magis emicat actio, & passio; vt si pingatur Aquila in Draconem insurgens. Nec plures etiam repugnant; dum vna primaria sit, & omnes ad eandem significationem concurrant. Primaria Figura est, cui Similitudo innititur, & quam reliquæ, vt Symboli fundamentum respiciunt. Talis esset Corona Regia super incudem, propè fabrilem foculum, cum malleo, forcipe, alijsque huius generis instrumentis, inscripta Epigraphe *Per ferrum, & ignes*. Vbi plures Figuræ fuerint, monet sæpe laudatus Aresius præcipuam ad læuam esse collocandam; cùm ad eam spectet Lemma, quod à læua scribere incipimus, & legere. Nulla certè superflua

Fi-

Figura ſit: quamobrem nec otioſa quędam ornamenta in Impreſiæ diſco ferenda, quæ perperam à Pictoribus adduntur, vt Arbores, Flumina, Montes, ad regionis amœnitatem importunè ingerendam.

4. Non trita nimis, & vulgaria Corpora adhibeantur. Laudem habent nobilia, mirabilia, noua. Sed hæc non ſemper, nec omnibus erunt in promptu; nec tam facilè inuenire ſerò natis, quæ tot adhuc ingenia non attigerint. Saltem nouæ proprietates quærendæ, quæ ſæpius eodem prorſus Corpore permanente, vel aliquo tantùm immutato Adiuncto, noua Symbola efficient; vt ſequentia docebunt in Lunam, cuius eadem in omnibus ſeruata Figura, tantùm varijs illius proprietatibus conſideratis, mutato Lemmate plures Impreſiæ fiunt. 1. *Aliena luce*. 2. *Completur curſu*. 3. *Creſcit, vt deſinat*. 4. *Accipit, non adimit*. Noſſe tamen reconditas rerum proprietates, ac exquiſita tot Artium inuenta non puerilis eſt, ac leuiter inſperſi literis ingenij. Proderit quidem meditatio, ſed magis lectio, & vſus. Conſule Ariſtotelem, Theophraſtum, Plinium de rerum natura, tum Vlyſſis Aldrouandi opera, & huius notæ Authorum, qui de Hiſtoria naturali, quiq;

de

de Artibus varia eruditione scripsere. Interim ijs vtere, quorum tulerit ætas notitiam, suisque potuerit studijs comparare.

De Lemmate.

CAPVT QVINTVM.

OBtinuit vsus, vt quemadmodum Figura Corpus, ita Lemma, seu Epigraphe metaphoricè anima dicatur. Figura enim instar Promethei simulacri exanime iacet, mutumque Corpus, donec vitalis accedat Lemmatis facula, quæ illud animet, reddatque vocale. An verò tantùm Figuræ anima sit, an totius Heroici Symboli, non leuis quæstio est apud Artis magistros. Plerique tamen Impresiæ formam negant esse Lemma, sed translatam significationem, vel Similitudinem esse volunt, per quam exprimit animi sensum. Tu hæc aliàs cum Philosophis agitabis: quòd si iam es instructus ad aciem, & mentem libet immiscere dissidijs, adi Bargalium, Ferrum, Tassum, & præ cæteris doctissimum Aresium.

At nunquam illis assenserim, qui docent Heroicum Symbolum sine Lemmate subsistere posse; hoc enim deficiente

ciente nec intelligi poteſt, nec à Symbolis alijs diſtingui. Pinge ex. gr. ſine vlla Epigraphe Leonem. Quid inde conijciam? cur non potius Hieroglyphicum, vel Schema gentilitium putem, immò etiam meram Leonis imaginem ex ingenio Pictoris expreſſam? Neceſſarium igitur omnino Lemma eſt, cùm Impreſia non ſit ex eorum genere Symbolorum, quæ ſolis fiunt Figuris, ſed ex Figura, & Lemmate compoſitum; quarum partium concurſum ad ſignificationem ita exigit, vt neutra ſeorſum illius ſenſum perficiat.

Munus Lemmatis eſt exprimere paucis Figuræ proprietatem, cui Similitudo innititur, non autem Figuram ipſam, ſaltem primariam, aut aliquam ipſius actionem, quæ intuentibus pateat; neq; debet complere ſententiam, & Similitudinem, ſeu ſenſum metaphoricum explicare: quare vitioſa ſunt hæc Lemmata. In Adamantem. *Semper Adamas*. In Aquilam in ſublime volantem. *Alta petit*. In Scorpium. *Qui viuens lædit, morte medetur*. Primum, quia nominat Figuram: Secundum manifeſtam illius actionem attingit: Tertium ſententiam complet, ac explicat ſenſum.

Omnino Lemma ſit Figuræ conueniens, & verum de illa dicat. Non con-

conuenit illud Vespertilioni. *Lumine gaudet*. Non verum dicit Epigraphe confractis arcubus, & spiculis in fasciculum colligatis inscripta. *Fracta magis feriunt*. Quanuis enim aliquando id verè contingere potuerit, ita communiter esse non solet.

Eò maiorem laudem Lemmata merebuntur, quò magis erunt propria. Communiora quædam vitentur; vt *Natura dictante*. *Iuuante Deo*. Et iam ab alijs adhibita, vbi fuerit eadem, vel similis Impresiæ Figura, idem, vel similis sensus. Cæterùm vix posse inueniri censeo tam proprium Lemma, quod vni tantùm Corpori conueniat; cùm enim plura sæpius eandem proprietatem habeant, possunt eadem Epigraphe animari. Illud ipsum tam celebre in Histricem. *Eminus*, & *Cominus* quot alijs animantibus, bellicis tormentis, machinis inscribi potest, quibus eadem proprietas est, vt longè & propè feriant? quot verò sunt, quæ cominus, eminus agunt, resonant, olent, apparent, quibus idem Lemma quadrabit?

Quod attinet ad Lemmatis breuitatem, non alia illius mensura est, quàm quæ cæterorum; hoc est, vt nihil superfluum habeat. Duo, vel tria verba; vel hemistichium Latinum admittit,

in-

integrum etiam quandoque carmen Italicum: nam Italica lingua non tam pressa est, quàm Latina, vt plura paucioribus exprimat. Sic Horologio Solari Carmen inscriptum. *Sol quando fà bel tempo ogn' vn mi guarda*. Alibi. *Son pur l'hore serene ombre fugaci*. Et alibi nubilo Cælo. *Senza lume del Ciel si perde il tempo*. Cauendum, ne affectata breuitate mutiletur Epigraphe, & dum nimiam claritatem vitat, incidat in obscuritatem, quæ multò deterior est.

Omnia Tempora, & omnes Modos admittit Lemma. Eleganter prima vtitur persona, inducendo Figuram loquentem per Prosopopœiam. Tale est illud in Arborem à reciso stipite repullulantem. *Vici mea fata superstes*. Vel tertiam personam adhibet, quidquam de Figura affirmando, vel negando. Affirmando ex. gr. de Ala. *Aggrauat, & alleuat*. Negando: de sagitta in scopum tendente. *Nec citra, nec vltra*. Affirmando, & negando: de Cygno in vndis. *Abluor, non obruor*. Secunda persona vix est in vsu, & à plerisque reprobatur. Quandoque Epigraphe solis Verbis constat, quandoq; Nominibus, vel Substantiuis, vel Adiectiuis, siue Participijs, aut Gerundijs, Aliquando sola pro Lemmate suffi-

ciunt

ciunt Aduerbia, vt in exemplis aduertes. Bargalius, & alij particulas illas reijciunt *Hic*, *hinc*, *hoc*, *ita*, *sic*, quæ Corpus notant, vel Similitudinem attingunt: quamuis non alia Monosyllaba excludant; immò censet Picinellus, hæc esse Lemmati commodiora: vt in Typographicum prælum. *Premat*, *dum imprimat*: multò elegantius, quàm *Premat*, *modò imprimat*.

Frequentissima est in Epigraphe Figura Eclipsis, quæ Verbum supprimit, aut aliquam aliam Orationis partem, quam facilè subaudiat Lector, vel quam suppleat Figura; vt de Vertago captum lepusculum ferente. *Non sibi*, *sed Domino*. *Ex Martial.l.* 14., vbi subintelligitur. *Fert prædam*. Sed Figura satis innuit, quod Lemma tacet. Laudantur arguta Schemata, vt Annominatio, Antithesis, Æquiuocum. Annominatio; in Laurum ardentem. *Fragrat*, *dum Flagrat*. Antithesis, in Circinum, altera cuspide in centro fixa, altera circulum describente. *Non vagus vagor*. Æquiuocum: in equum extra Circum exilientem. *Non sufficit orbis*. Ex Iuuenali Sat. 10. *Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis*. Duplicem sensum habet in Lemmate vox *Orbis*; nam, & Circum significat, & terrarum ambitum. Erectum verò fuit hoc Symbo-
lum

lum pro Philippo Secundo Hispaniarum Rege ad exprimendam illius animi magnitudinem, cui non satis erat Orbis noster.

Iouius & alij peregrina idiomata in Lemmate desiderant. Sed inueniendi erunt Mithridates, qui plures calleant linguas. Præstat itaque idiomate vti Latino, nostratibus, & exteris communi, aut popularibus noto; Italo apud Italos, Hispano apud Hispanos &c. ne Impresiæ spectatores interpretem quærant.

Commendatur Lemma à celebri Authore, maximè Poeta depromptum. Et magnum quidem hoc affert ornamentum eruditionis, & quoddam velut authoritatis præsidium, atque ingenij sagacitatem ostendit, quod aliena, & sæpe remota in rem suam aptè traducat. Non ideo tamen improbauerim Epigraphem proprio Marte inuentam, si alioqui præstet, ac reliquas conditiones, quæ illi præscribuntur, habeat, præter nomen Authoris. Laudabilius sane est idoneam inuenire, quàm aliunde minùs aptam detorquere, Contendunt aliqui Lemma vel soluta prorsus Oratione scribendum esse, vel, si manarit à carmine, sequi debere Prosodiæ leges. Ego verò non video, cur etiam Rhytmum imitari

non

non possit; præsertim si fuerit à Poeta deriuatum, sed aliqua voce inani ablata, vel in aptiorem mutata; curque tam seuerè sit metri legibus adstringendum. Sacris porrò Symbolis Lemmata magis conuenient à Sacris Libris, vel S. S. Patribus, quàm à profanis Authoribus excerpta. Vt Poetica facilè inuenias, nisi horum copiam parauerit lectio, quæ certior est eruditionis magistra, consules Parnassum Poeticum, vocum syluam ex Virgilij operibus ab Erythræo collectam, aliosque huius generis Indices, Poetis adiectos; & linguæ Latinæ Thesaurum. Pro Sacris Bibliorum Concordantias percurres.

Quæ Impresiam maximè laudabilem reddant.

CAPVT SEXTVM.

Cùm ad Impresiæ perfectionem tam multa concurrant, vt hactenus vidimus, siue Figura, siue Lemma spectetur, hæc summatim collecta obseruabis, quibus illius pretium augetur.

1. Si nouitatem habeat, hoc est si vel nouo, egregio, ac mirabili Corpore constet; aut proprietatem, nondum ab alijs obseruatam attingat.

2. Si minùs popularis sit, nec adeò patens, vt imperitis etiam illius sensus primo intuitu innotescat; nec adeò sit reconditæ significationis, vt vel eruditissimos tantùm exigat Spectatores, vel speciem ænigmatis referat, quod explanatorem desideret.

3. Si sit propria, atque ita Personæ, ac præsentibus rebus accommodata, vt alijs æquè conuenire non possit. Quare non probatur Iouij, & aliorum opinio, qui maiori dignam laude arbitrantur, si plures habeat sensus, & varias interpretationes ferat.

4. Si Corpus desumptum fuerit à Schemate gentilitio, vel ab insignibus dignitatis, aut Epigraphe alludat ad nomen, cognomen, aut munus aliquod illius, pro quo Symbolum excitatur, tunc enim & singularis videtur, & Authoris ingenium commendat. Huc pertinet argutia Lemmatis; quod si præterea contigerit ab insigni Poeta, vel idoneo Scriptore deriuari, omne feret punctum.

Pro Symbolis Heroicis, quæ Academiæ communia eligere Academici solent, hæc præcipit Bargalius. Primò, vt Virtutem respiciant. Secundò, vt nomini assumpto ab Academicis conueniant. Tertiò, vt imperfectum aliquid innuant, studio, ac opera perfi-

ciendum. Sic infœcundorum insignis Academia Romæ, sub tutela Deiparæ Virginis, quam à Niuibus vocant, erecta, pro Symbolo pinxit opertum niuibus campum, cum breuissimo Lemmate *Germinabit*. Hoc, vt vides, Infœcundorum nomini respondet; alludit ad Virginis niues, ac tutelam; sterilitatem præfert, sed ingeniorum cultu futura Virtutis germina pollicetur. In huiusmodi Academiarum Impresijs laudat, quamuis non exigat, Aresius Corpora, quæ plurium rerum vnionem ostendant, ad eandem actionem spectantium, & Lemmata, quæ communem consensum innuant, ex. gr. si pingatur Alueus cum Apibus ad mellificium conuolantibus, qualem Vnanimes Salodienses præferunt, impendente Virgiliano hemestichio. *Omnibus idem ardor*.

Hæc de Impresijs Tirocinio tuo sufficiant; neque te deterreat operis difficultas, & Artis apex. Enitere, quæ potes, aliquando meliora daturus; non enim statim optima nascuntur. Duo tantùm postremò te moneo. Primum, vt vel nunquam, vel semper mitiùs de Symbolis alienis Iudices: multa quippe ferenda potiùs, quàm carpenda; cùm vix vllum reperiri possit ex omni parte beatum. Nec omnium eadem senten-

tia

tia eſt, nec vlla opinio patrocinijs caret; quanuis rectè ſentienti eligenda tutiora ſint, & meliorum conſenſu probata. Secundum, ſi quando pro ingenioli tui tenuitate aliqua edideris, ne ſummam laudem affectes; immò, ſi me audis, vt Impreſijs tuis conſulas, eludaſque acutiorum cenſuram, magnificum illis adimes Epithetum, & non Heroica, ſed communiori vocabulo Symbola, nuncupabis.

Impreſiarum affluentiſſima exempla dabunt Philippus Picinellus in Mundo Symbolico, Paulus Areſius, & alij, qui de illarum Arte ſcripſere. Quòd ſi non paſſim tam multa inuenies Heroica Symbola, quæ omnino excellant, ea ſeliges, quæ proximiùs accedunt ad optima; immò cùm perfectiſſima fruſtra quæſiueris, bona pro optimis erunt, pro bonis non prorſus mala.

De alijs Symbolorum Speciebus.

CAPVT SEPTIMVM.

NOn de Symbolis ago, quæ ſolis verbis conſtant, vt ſunt Ænigmata, & Pytagorica Symbola; quædam ſcilicet Allegoricæ ſententiæ, quibus Pytagoras Virtutum præcepta inuoluit. Ex. gr. *Ignem gladio ne fodito*,

 ideſt

idest iratum hominem ne laceſſas. *Stateram ne tranſilias*, hoc eſt moderationem ſerua in rebus gerendis. Ea tantùm huc affero, quæ Figuris vtuntur; vt Emblemata, Hieroglyphica, Schemata, ſeu Inſignia Gentilitia, Numiſmata, & Characteres.

Emblema ſignificat vermiculatum opus, teſſellis inſititijs conſertum, & omne ornamentum exemptile, quod parietibus, pauimentis, vaſis, pateris, veſtibus, rebuſque alijs inſeritur; cuiuſmodi ſunt clauiculi, aut imagines aureæ, vel argenteæ, vniones, gemmæ &c. Hìc Emblema eſt Symbolum, ad formandos plerunq; mores accommodatum, aliquando ſolis Figuris, aliquando Figuris conſtans, & verbis differt ab Heroico Symbolo, quòd Lemma neceſſariò non requirit; aut clarum adhibet, eoque ſenſum aperit, aut ſubiecto Epigrammate legentibus explicat. Nullas reſpuit Figuras, humanas, hiſtoricas, fabuloſas, fictitias; denique generalia tradit morum documenta, quæ Impreſiæ non conueniunt. Emblematis exemplum ſit illud ex Alciato, in quo pictus Bellerophon inſidens Pegaſo in Chimæram pugnat, cum inſcriptione. *Conſilio, & virtute Chimæram ſuperari, ideſt fortiores, & deceptores*. En fabuloſum Corpus, perfectam in Inſcrip-

ſcriptione ſententiam, generatim pertinentem ad mores, omnemque ſignificationem prorſus explicatam, quæ ab Impreſiæ perfectione valde diſſentiunt. Verùm eruditiſſima Emblemata ſi noſſę deſideras eundem lege Alciatum, quo nullus hoc Symbolorum genere magis excelluit.

Hieroglyphica ſunt ſacra Symbola, quæ ſculptis, vel pictis imaginibus occultum aliquid intelligendum deſignant. Hæc, vt diximus, ab Ægyptijs primùm inuenta feruntur, quibus vtebantur pro literis, ad Religionis, ac Sapientię myſteria ſubobſcurè notanda, vt imperitis laterent: quare nulla inſcriptione animantur; cùm ipſæ mutæ imagines ſuam habeant, licet reconditam, ſignificationem; ſiue ex hominum inſtituto, vt Olea pacem, Laurus doctrinam ſignificat; ſiue ex ipſa rerum natura, vt cùm Leo, vel Gallus pingitur ad Vigilantiam indicandam.

Inſignia Nobilitatis apud Veteres fuere Stemmata, ſiue potiùs (vt (a) Alciatus notat) Schemata, hoc eſt Figuræ Maiorum. Cereas enim horum imagines in armarijs diſpoſitas ſeruabant in atrijs, ad auitæ gloriæ memoriam. Cùm autem illas coronis ornare ſolerent, quas Græci Stemmata vocant, hæc

a *Lib. 4. de Verborum ſignificatione.*

etiam translatè sumuntur, vt inclytæ stirpis argumenta.

Hinc Iuuenialis Sat. 8.

Stemmata quid faciunt, quid prodest Pontice longo
Sanguine censeri? &c.
Tota licet veteres exornent vndiq; ceræ
Atria, nobilitas sola est, atque vnica virtus.

Frequentissimè verò Scriptores fumosas Maiorum imagines ponunt ad exprimendam Generis claritatem. His Gentilitia Symbola, seu Insignia successere, quæ vocantur ab Italis *Arme*; fortasse quòd primum fuere clypeis, & armis impressa. Hæc varijs rerum Figuris, & coloribus Familias distinguunt, vel à Principibus data ad testimonium meritorum, vel ab euentu, vel ab Auorum insigni aliquo facto desumpta, seu electa eorum arbitrio, atque ad posteros transmissa; quare certis regulis non tenentur. De horum origine, vsu, ac præstantia plura dignissima lectu collegit Vlysses Aldrouandus lib. 1. Ornithologiæ capite vltimo.

Numismata differunt à minoribus numis, quorum in commercijs vsus est; quanuis, & eodem nomine pecuniæ vocentur. Hinc Hor. lib. 2. Epist. 1.


Chæ-

Chærilus, incultis qui versibus, & malè natis
Rettulit acceptos regale numisma Philippos.

Numismata igitur propriè sunt ad præstantium Virorum, ac præclarè gestorum memoriam signata metalla, quæ à Nostratibus dicuntur *Medaglie*. Ex vna parte illius effigiem referunt, in cuius honorem cuduntur, ex altera vel Inscriptionem, vel Figuras, aut Symbola. Sic Augusti Cæsaris Numismati Papilio impressus, cum fluuiatili Cancro, quorum alter celeritatis, alter tarditatis nota vnitim Symbolum fuere maturitatis. Hæc pariter maximè libera sunt, nec Impresiæ legibus adstringuntur. Non leue quidem afferunt adiumentum eruditioni comparandæ. Sed eorum cognitio à studiosis Antiquitatis petenda est. Lege Sebastianum Erizzium, Antonium Augustinum, Carolum Patinum, & alios.

Characteres, Italicè *Cifere*, sunt rerum Figuræ pro Verbis: vt si pingas fasciculum tritici, trabem, & allium ad exprimenda nostro idiomate hæc verba *Gran trauaglio*. Hęc olim ab alijs quæres, cùm nugari libuerit; nunc enim leuioribus istis, & huius notæ Symbolis alijs explicandis tempus conterendum non puto, studijs melioribus impendendum.

Breue Corollarium.


Vanuis ea ſit Hiſtoriæ amplitudo, vt Scholæ noſtræ anguſtias, atque hæc prima dicendi, ſcribendique Præludia excedere videatur; attamen, vt cœptum opus abſoluam, non prorſus omittendum cenſui præſtantiſſimum hoc ſtyli exercendi genus; præſertim, quòd Hiſtoriæ cognitio maximum affert Eloquentiæ emolumentum. Immò Ars vtraque ita mutuo nexu coniuncta eſt, vt alteram ex altera naſci affirmet Robertellus. Rhetorica quippe Hiſtoriam parit, atque alit, tanquam mater; ea rurſus, tanquam optimæ matri, à qua fuit educata, parem gratiam refert; nam ſuppeditat exempla, ex quibus ſuas argumentationes conficit Rhetorica. Quare ſi non pleniorem de Arte Hiſtorica tractatum, ſaltem breuem aliquam illius notitiam hìc trado, tanquam Coronidem Præludiorum.



Quid sit Historia, quinam eius finis, quæ species.

CAPVT PRIMVM.

HIstoria est rerum verè gestarum expositio, vt alibi diximus in prima Præludiorum parte: (a) quare distinguitur à Poetica, & fabulosa Narratione, vt ibidem docuimus. In veris igitur tantùm enarrandis versatur, neq; commentitia admittit, aut ad veri similitudinem adornata, ne in Tragœdiam Historia mutetur, quod maximum Historici vitium esse pluribus docet Polybius *lib.*2. idque notat in Philarcho Plutarchus in scribenda Themistoclis vita. Ideò etiam Xenophontis Cyrum Tullius damnat, quòd, vt in eo exprimeret perfecti Regis formam, veris verisimilia commiscuit, (b) *non ad Historiæ fidem, sed ad effigiem iusti imperij.*

Historiæ finis est rerum gestarum memoriam literarum monumentis perennem reddere ad posteritatem erudiendam. Nullus itaque maiorem affert vtilitatem styli labor; cùm inde hauriatur vberrima rerum omnium, præteritarum etiam, & longissimè di-

a *Cap. pr. de Narratione.*
b *Lib. pr. ep. pr. ad Q. Fratrem.*

distantium cognitio. Hinc discimus maiorum exemplis, quæ imitanda sint, quæ vitanda; & cùm in hominum animis vim maximam habeat famæ perennitas, vbi videmus extare continuò immortalem in paginis proborum, fortiumque Virorum gloriam, simulq; perpetuam improborum ignominiam, illa nos vehementiùs ad Virtutem accendit, hæc à prauitate deterret. Nec minùs vtilis Historia est ad vniuersas pacis, & belli artes sincerè comparandas, ad tuenda Regnorum iura, ad Rempublicam rectè administrandam, immò etiam ad seruandam Religionis integritatem. Quantæ verò voluptatis est Historicorum lectione in retrò acta sæcula, quasi manuduci, & ea, quæ gesta sunt ab antiquis, tanquam præsentia spectare; tum ignotos populos, & remotissimas regiones sine molesta peregrinatione lustrare, tandem quidquid vbique terrarum est nosse compendio? Non est cur plura de Historiæ laudibus afferam, cùm & se ipsa vtilitate, ac voluptate Lectorum satis commendet, cùmque amplissima illius encomia in Scriptorum paginis passim affluant, eorum præsertim, qui vel Historias, vel Historicæ artis præcepta scripsere.

Diuiditur Historia in Vniuersalem,

quæ plurium Populorum, ac illuſtrium Virorum monumenta complectitur, qualem ex Trogo Pompeio ſcripſit Iuſtinus, & particularem, quæ aut vnius tantùm Gentis, aut vnius Viri facta ennarrat, qualis ea eſt Q. Curtij de Alexandro Magno.

Ad Hiſtoriam referuntur Annales, qui per ſingulos annos, & Ephemerides, ſeu Diaria, quæ per ſingulos dies res geſtas recenſent. Sic à diuerſitate materiæ, vel diuerſa ratione ſcribendi diuerſa ſortiuntur nomina plures Hiſtoriæ ſpecies, ſeu potiùs partes. Hinc dicuntur Chronologicæ, quæ temporum ordinem ſequuntur, Chorographicæ, quæ regiones, Topographicæ, quæ particulares locos, Genealogicæ, quæ familias deſcribunt. His adde Commentarios, Faſtos, Epitomas, Miſcellanea, Tabulas, & plures alias Inſcriptiones huiuſmodi operum, quas ad rem ſuam adhibent Scriptores; quanuis non his omnibus ſcribendi generibus conuenire cenſeatur iuſtæ Hiſtoriæ nomen, cùm ſint potiùs, vt diximus, eiuſdem partes. Verùm de illius definitione, diuiſione, ac fine plura ſunt inter Artis magiſtros diſſidia, de quibus per me iudicent acuti cenſores; mihi enim ſatis eſt, ea tantùm, pro inſtituto meo ſummatim col-

ligere, quæ sint ad scribendum vtilia, non quæ ad disputandum subtilia.

Historiæ materia.

CAPVT SECVNDVM.

EX definitione, & fine Historiæ colligi potest illius materiam esse res gestas, non qualescunque, sed insigniores, & quæ afferre vtilitatem lecturis possint.

Aliqui volunt Historiæ materiam solùm ab antiquis esse petendam, Tullij nimirum authoritate nitentes, à quo *lib. pr. de Inuentione* Historia definitur *res gesta ab ætatis nostræ memoria remota*. Sed illic Tullius Historiam definit, vt pertinet ad tertium illud Narrationis genus, quod in Rhetorum tirocinio *delectationis causa non inutili cum exercitatione dicitur, & scribitur*. Huius autem est *receptas exponere Historias, aut certè à claris Authoribus memoratas*, vt docet Quintilianus *lib.* I. *cap.* 8. Cæterùm manifestum est, ab Historicis non tantùm antiqua, sed etiam nouissima describi, & quæ illorum etiam ætate contigere.

Alij contra sentiunt earum propriè rerum Historiam esse, (a) *quibus gerendis*

a *A. Gellius lib.* 5. *c.* 18.

vendis interfuerit is, qui narrat; quòd si seruandum esset, paucos admodum haberemus Historicos. Dicitur quidem Salustius Bellum Romanorum in Iugurtham Numidarum Regem scribere aggressus Numidiam perlustrasse, quod tamen falso inniti fundamento (a) Vossius ostendit; at quanuis omnes illius regionis fines permeauerit, certè bella omnia non vidit in ea gesta; neque tot peregrinationibus, tot periculis damnandus est Historicus. Sufficit autem, quanuis non spectauerit ipse, quæ scribit, vt ab ijs, qui præsentes viderint, aut à Viris fide dignis, & probatis Authoribus accepta narret, tum quæ vera, & quantum assequi humana diligentia potest, certa cognouerit pro certis afferat, dubia pro dubijs. Ita Q. Curtius lib. 9. Indica describens *Equidem*, ait, *plura transcribo, quàm credo: nam nec affirmare sustineo, de quibus dubito, nec subducere, quæ accepi*. Quis verò, vt cum Seneca (b) loquar. *Quis vnquam ab Historico fidem iuratò exegit?*

(c) Franciscus Patritius Historiæ materiam solis hominum actionibus definit. At non tam angustis limitibus concludi docet Vossius (d) idque probat

a *Art. Hist. c.* 11. b *In Apocol. Claudij*. c *In Dial. de Hist.* d *Artis Hist. c.* 4.

plures memorans Historicos, qui non solum de rerum natura scripsere, deq; his inferioribus, at de cælestibus etiam, de prodigijs, ac miris euentibus, quæ Dei profectò, non hominum sunt opera: hinc Historiam diuidit in Diuinam, Humanam, & Naturalem. Nos Diuinam Sacris Scriptoribus, ac Theologis, Naturalem Physicis relinquentes hìc agimus de Humana; & Historiæ nomine illam tantùm intelligimus, quæ res continet ab hominibus gestas.

Historiæ leges.

CAPVT TERTIVM.

PRima, & præcipua Historiæ lex est; *ne quid falsi dicere audeat, deinde, ne quid veri non audeat; ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis*, ita Cicero *lib.* 2. *de Oratore*. Sanè veritas censetur anima Historiæ, qua deficiente inanis narratio est, si adsit, vna sufficere videatur; adeò vt ad scribendam Historiam satis esse affirmauerit Catulus non esse mendacem. Ita verò temperanda est in scribenda veritate sinceritas, vt modum seruet, neque immodicis, merentium etiam, laudationibus nimium aliquibus, in quos magis propendeat, fauere videatur,

tur, neque exaggeratis acriùs aliorum vitijs infensum scribentis animum prodat. Immò atrociora quædam, ac turpia facinora præstat, si commodè fieri potest, præterire silentio, vel si necessariò referenda sint, cursim attingere; non fusiùs explicare, & quasi subijcere oculis legentium; ne Historia, quæ deberet esse incitamentum ad virtutem, fiat exemplar, & fomes nequitiæ.

Secunda est Historiæ lex, ne manca sit, aut exuberans. Manca est, si non eas afferat, quas exigit, notitias; non enim satis est ad illius munus integrè implendum, rerum gestarum summam presse colligere, vt Ephemeridum, & Annalium Scriptores facere solent; sed antecedentia, & consequentia spectanda; declarandum, quo tempore, quo loco, quomodo, quibus consilijs res gesta sit. Quare multiplici eruditione instructus esse debet Historiarum scriptor, & regionum, populorum, Principum, tum ciuilium, militarium, naturalium etiam rerum cognitione præstare, vt hæc, vbi opus fuerit, explicare sciat, ac docere Lectorem.

At in his etiam tractandis aliud vitandum est vitium, ne certos fines excedat Historia; nec enim minùs vitiosa est, si exuberet. Id autem euenit, cùm

minutiora quæque consectatur, cùm sæpiùs in descriptionum, concionum, quæstionumque diuerticula dilabitur, cùm frequentior est in examinandis consilijs, ferendisque iudicijs, cùm passim præcepta ingerit, ac sententias, vt Scriptor Philosophum, vel Politicum potiùs agere videatur, quàm Historicum.

Tertia Historiæ lex est; vt sit perspicua. Hæc autem perspicuitas partim oritur ex ordine rerum, quæ narrantur; vt ea præcedant, à quibus pendeat subsequentium cognitio, subinde reliqua, vt euenere, succedant; partim à sincera, & dilucida elocutione; atque huc pertinent, quæ in sequenti capite dicemus, tum etiam quæ de virtutibus elocutionis alibi diximus in prima Præludiorum parte *capite primo*.

De Stylo Historico.

CAPVT QVARTVM.

SI quod est Scriptorum genus, quod emendatam maximè, & perspicuam elocutionem desideret, hoc vtique est, quo traditur posteris rerum gestarum memoria. Cùm verò non ad probandum, sed ad narrandum scribatur Historia, stylus illi conuenit æquabiliter

fluens,

fluens, non Oratorio ambitu circumductus, non validioribus ijs vtens figuris, quæ attinent ad motum animorum, non nimis ornatus, non tumens; nec tamen incultus, & rudis, medius inter sublimem, & humilem; in descriptionibus tamen, & concionibus aliquantò liberior. In his autem quamuis habere Historia dicatur multa cum Poesi communia, adeò vt eam(a) Quintilianus appellauerit *quodamodo carmen solutum*, attamen intra suos limites continenda est, ne in Poeticam licentiam efferatur, ac pompam; sicuti etiam cauendum est, ne conciones, quas inducit, fusis Orationibus, aut declamationibus propiores videantur; immò potiùs obliquas, quàm directas aliqui probant ex Trogi Pompei sententia in Liuium, & Salustium, eamque refert Iustinus *lib*. 38.

Contra Vossius (b) ostendit æquè directas, ac obliquas conciones ab Historicis vsurpari posse, idque plurium Scriptorum exemplis confirmat. *Vide, quæ de sermocinatione habentur in prima Præludiorum parte de Figuris tertij ordinis*.

Verùm ad formandum stylum, ad Artis leges tutiore magisterio addiscendas, nihil est præstantium Authorum ac-

a *Lib*.1.*c*.10. b *Art. Hist. c*. 20., *&* 21.

accurata lectione, ac imitatione vtiliùs.

Inter Latinos Historicos maximè commendatur Iulius Cæsar ob puritatem, & proprietatem Latinæ Linguæ, ob exactam rerum explicationem, & eam Orationis elegantiam, quam admittit Historia, non studiosiùs elaboratam. (a) Tullius quidem ita eum scripsisse affirmat, *vt sanos homines deterruerit à scribendo.*

In Crispo Salustio laudatur castigata seueritas, & breuitas. At in eo quædam notantur vocabula nouata, quædam ab antiquiore sæculo decerpta. Neque ab omnibus probatur nimis pressa, & arida illa breuitas, *quanquam in ipso virtutis locum obtineat*, vt ait (b) Quintilianus, eamque fusæ Historiæ scribendæ minus aptam Foxius docet.

Titum Liuium lacteum eloquentiæ fontem vocat (c) D. Hieronymus, & lacteam pariter vbertatem illi (d) Quintilianus adscribit. Sed aliquando nimis affluere dicitur, aliquando etiam luxuriare, & in Poeticum stylum; immò interdum, & numerum incidere; insuper immania interdum portenta referre, quæ superant fidem.

Quàm

a *Cic. in Bruto.* b *Lib. 4. c. 2.*
c *In Epist. ad Paulinum.* d *Lib. 10. c. 1.*

Quàm verò frequentia ista sunt in superstitiosæ antiquitatis monumentis?

Cornelius Tacitus magno Vir ingenio, & eloquentissimus Orator, vt Plinius iunior illius æqualis testatur, in scribendis suis Annalibus, ac Historijs graue quidem, & grande, sed asperum, durum, obscurumque styli genus adhibuit, & sæpe à Latini sermonis candore discedens; fortassè, quòd ipsa obscuritas, & peregrinitas, vt sentit Muretus, dignitatem, maiestatemque conciliet, sitque tanquam velum, quod profanis obtenditur, ad Politica mysteria inuoluenda. Redarguitur insuper Tacitus, vt minimè verax; immò *mendaciorum loquacissimum* cum (a) Tertullianus appellat, quòd falsa quædam, & impia in Sacram Historiam, & Christianam Religionem scripserit; quanuis mirandum non est, Scriptorem Ethnicum malè de vera Religione sensisse. Hunc tamen ab omnibus criminationibus vindicare, ac tueri acerrimè conatur (b) Muretus, præsertim contra Criticos Ciceronianos, qui nihil in Latinis locutionibus approbant, quod ipsi non legerint in Tullio.

Q. Curtius Iusti Lipsij testimonio probatus est, legitimusque Historicus; mira

a *In Apol. adu. Gentes c.* 16.
b *Orat. secunda in Tacitum.*

mira in sermone eius facilitas, in narrationibus lepos; astrictus idem, & profluens, vt lectores valde oblectet. Non desunt tamen, qui nimiam in eo deprehendant elegantiæ, & numeri curam, tum paucas aliquas voces sæculi deterioris.

Iustinus è quadraginta quatuor voluminibus, quibus Trogus Pompeius totius Orbis Historias descripserat, breue florum corpusculum fecisse se profitetur, quæ cognitione digniora fuerant excerpendo. Aliter aliqui sentiunt Historicorum censores: illum enim aiunt, non tam contraxisse Trogum, quàm malè mutilasse, ac perdidisse. Eundem præterea minùs nitidum Scriptorem appellat (a) Ludouicus Viues.

Suetonium Tranquillum emendatissimum, & candidissimum Scriptorem vocat Flauius Vopiscus, Plinius iunior eruditissimum, alij sincerum, & accuratum. Non placet alijs tenuis, & inornata elocutio, & in leuissimis rebus explicandis inutilis mora; multòque magis damnatur, quòd fœda quædam Cæsarum flagitia nimis apertè, ac diligentèr narret, vt docere videatur. Ita Franciscus Balduinus *de institutione Historia lib.* 1.

Va-

a *De tradendis disciplinis lib.* 3.

Valerium Maximum inter Historicos numerandum non esse probat (a) Antonius Viperanus, quippe nullam perpetuam narrationem tenet; at quæ apud plures Historicos latiùs diffusa sunt multarum gentium facta, & dicta ita collegit, vt ad inuenienda facilè insignia Virtutum, vitiorumque exempla vnus esse possit pro multis. Quare quàm iucunda, tam vtilis est tot Historiarum cum breuitate congesta varietas, grauibus, acutisque sententijs inspersa; quanuis aliquando à puritate Latinæ locutionis, & elegantia deficiat.

L. Florus, præter Liuianæ Historiæ compendium, quod (b) Martialis carmine potest inscribi *Pellibus exiguis arctatus Liuius ingens*, elegantissimum illud scripsit opusculum, quo Romanorum gesta, hoc est, vt ille ait, generis humani facta, breui, sed dilucido, acuto, floridoque stylo complexus egregium reliquit ad texendas Epitomas exemplum.

Notiores ex antiquis, quos habemus, & illustriores Historicos Latinos attigi; omnes autem recensere, ac singillatim examinare meum non est. Illud certum sit, spectandos esse meliores, & quæ magis laudantur in singulis imitanda.

a *De scribenda Hist.* c. 8. b *l* *n Apop*

da. *Neque id ſtatim legenti perſuaſum ſit, omnia, quæ magni Authores dixerint, vtique eſſe perfecta. Nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum ſuorum voluptati.* Denique *ſummi ſunt, homines tamen.* Hactenus (a) Quintilianus. Addo ego, varia eſſe ſcribendi genera, varios item hominum guſtus, nec omnibus eadem placere. Hinc euenit, vt aliqui deprauato ſæpe ſtomacho in probatis etiam Authoribus reprobent quæcunque illorum palato non ſapiunt; quare prudentèr admonet idem Quintilianus: *modeſtè, & circumſpecto iudicio de tantis Viris pronuntiandum eſt; ne (quod pleriſque accidit) damnent, quæ non intelligunt. Ac ſi neceſſe eſt in alteram errare partem, omnia eorum legentibus placere, quàm multa diſplicere maluerim.*

De ſcribenda Hiſtoria ſi plura deſideras (vt Lucianum, & antiquiores omittam) conſule Gerardum Voſſium, Antonium Viperanum, Patritium, Pontanum, Balduinum, Robertellum, Riccobonum, Foxium, & eruditos alios huius notæ Authores, qui vberiorem de hac Arte doctrinam tradidere. Interim tibi pauca iſta ſufficiant pro Præludiorum Corollario, ſaltem ne

pror-

a *Lib.* 10. *c.*1.

prorsus ignores, quid sit Historia; donec accedat maturiori ætate cum studio, vsuque rerum maior illorum cognitio, quæ ad eam scribendam requiruntur; nam, vt grauiter ex Græcorum sententia Catulus admonet. (a) *Summi hominis est scribere Historiam.*



LAUS

a *Apud Cic. lib. 2. de Oratore.*

LAUS DEO,
SCIENTIARUM DOMINO;
DEIPARÆ VIRGINI,
SAPIENTIÆ MATRI;
D. PAULO APOSTOLO,
GENTIUM DOCTORI.

IN-

INDEX RERVM,

Quæ in secunda parte continentur.

Ela-

Nar-



ERRAT	CORRIGE.
Pag. 27 mentem habetat	mentem hebetat
62 Longum esse	Longum esset
94 à præspicua	à perspicua
136 Principem oratorem	Principem oratorum

